DIATRIBE
De
MILLE ANNIS APOCALYPTICIS, non illis Chiliastarum & Phantastarum, sed BB. Danielis & Iohannis.

PER
IOHANNEM-HENRICVM ALSTEDIVM.

Editio secunda.

FRANCOFVRTI,
Sumptibus CONRADI EIFRIDI.
ANNO M.DC.XXX.

CHRISTIANO LECTORI, S. D.

TRia sunt opus ei, qvi velit vaticinia à Spiritu S. edita explicare. Ac primò qvidem requiritur lumen & gratia Spiritus S. Nam qvia prophetia proficiscitur à Spiritu S. necessum est vt ab eodem explicetur. Deinde pia & solers vaticiniorum lectio & collatio inter sese multum prodest hanc ad rem. Denique impletio vaticinii, atqve adeo experientia, est veluti clavis, qvâ reseratur prophetia. Vnde scitum illud Irenæi lib. 4. c. 43. Omnis prophetia, priusqvam impleatur, ænigma est. Qvando autem impleta fuerit, manifestam habet expositionem & intelligentiam. *Tria ista cùm in omnibus vaticiniis sacris, tam*

tam in Apocalypsi divinâ, & nominatim in hac eius particulâ, qvam pro virili nunc illustramus, hodiernodie, ubi ad lucem evangelii accedit magna multarum rerum divinitus prædicta catastrophe, coniungi possunt, nisi fortè præconcepta opinio aliqvem fascinet. Vela itaque in nomine Dei pandamus, & solitudinem Germaniæ piâ nostrâ meditatione solemur.

CAPUT XX.

APOCALYPSIS S. IOHANNIS.

ΚΑὶ εἶδον ἄγγελον καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔχοντα τὴν κλεῖδα τῆς ἀβύσσου, καὶ ἅλυσιν μεγάλην ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ.

2. Καὶ ἐκράτησε τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον, ὅς ἐστι Διάβολος καὶ Σατανᾶς· καὶ ἔδησεν αὐτὸν χίλια ἔτη.

3. Καὶ ἔβαλεν αὐτὸν εἰς τὴν ἄβυσσον, καὶ ἔκλεισεν αὐτὸν, καὶ ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ, ἵνα μὴ πλανήσῃ τὰ ἔθνη ἔτι, ἄχρις τελεσθῶσι τὰ χίλια ἔτη· καὶ μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον.

4. Καὶ εἶδον θρόνους, καὶ ἐκάθισαν ἐπ' αὐτοὺς, καὶ κρῖμα ἐδόθη αὐτοῖς· καὶ τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ, καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ οἵτινες οὐ προσεκύνησαν τῷ θηρίῳ, οὐδὲ τῇ εἰκόνι αὐτοῦ· καὶ οὐκ ἔλαβον τὸ χάραγμα

CAPUT XX.

APOCALYPSIS S. IOHANNIS.

ET *vidi angelum descendentem è cœlo, qvi habebat clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.*

2. *Et apprehendit draconem, serpentem illum antiqvum, qvi est diabolus & Satanas: & vinxit eum ad mille annos.*

3. *Coniecitqve eum in abyssum, & clausit eum, & obsignavit supra eum, vt ne seduceret amplius gentes, donec consummati essent mille anni: & postea oportet eum solvi ad exiguum tempus.*

4. *Et vidi thronos, & consederant super eos, & iudicium datum est eis: & animos eorum qui securi percussi fuerant propter testimonium IESV, & propter sermonem DEI, & qui non adorarant bestiam, neque imaginem eius, & non acceperant characterem*

ραγμα ὅπι τὸ μέτωπον αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτῶν καὶ ἔζησαν, καὶ ἐβασίλευσαν μετὰ τοῦ χριστοῦ τὰ χίλια ἔτη.

5. Οἱ δὲ λοιποὶ τῶν νεκρῶν οὐκ ἀνέζησαν ἕως τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη. Αὕτη ἡ ἀνάστασις ἡ πρώτη.

6. Μακάριος καὶ ἅγιος ὁ ἔχων μέρος ἐν τῇ ἀναστάσει τῇ πρώτῃ· ὅπι τούτων ὁ θάνατος ὁ δεύτερος οὐκ ἔχει ἐξουσίαν, ἀλλ' ἔσονται ἱερεῖς τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ χριστοῦ, καὶ βασιλεύσουσι μετ' αὐτοῦ χίλια ἔτη.

7. Καὶ ὅταν τελεσθῇ τὰ χίλια ἔτη, λυθήσεται ὁ Σατανᾶς ἐκ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ

8 Καὶ ἐξελεύσεται πλανῆσαι τὰ ἔθνη τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγώγ, συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς πόλεμον, ὧν ὁ ἀριθμὸς ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης.

9. Καὶ ἀνέβησαν ὅπι τὸ πλάτος τῆς γῆς, καὶ ἐκύκλωσαν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων καὶ τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην· καὶ κατέβη πῦρ ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατέφαγεν αὐτούς.

10. Καὶ ὁ διάβολος ὁ πλανῶν αὐτοὺς ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς καὶ θείου,

ὅπου

ejus in f onte suâ & in manu suâ: & vixerunt, atque regnarunt cum Christo per mille istos annos.

5. Reliqui verò mortuorum non revixerunt donec consummati essent mille isti anni. Hæc est resurrectio illa prima.

6. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione illâ primâ. In hos enim mors secunda non habet potestatem, sed erunt sacerdotes DEI & Christi, & regnabunt cum eo mille annos.

7. Et cùm expleti fuerint mille isti anni, solvetur Satanas è carcere suo.

8. Et exibit ut seducat gentes in qvatuor angulis terræ, Gogum & Magogum, ut congreget eos in prælium; qvorum numerus erit sicut arena maris.

9. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & obsidione cinxerunt castra sanctorum, & urbem dilectam, & descendit ignis à DEO è cœlo, & devoravit eos.

10. Et diabolus seducens eos conjectus est in stagnum illud ignis & sulphuris,

ὅπου τὸ θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης· καὶ βασανισθήσονται ἡμέρας καὶ νυκτὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

11. Καὶ εἶδον θρόνον λευκὸν μέγαν, καὶ τὸν καθήμενον ἐπ' αὐτοῦ, ἀπὸ προσώπου ἔφυγε ἡ γῆ καὶ ὁ οὐρανὸς, καὶ τόπος οὐχ εὑρέθη αὐτοῖς.

12. Καὶ εἶδον τοὺς νεκροὺς, μικροὺς καὶ μεγάλους, ἑστῶτας ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, καὶ βιβλία ἠνεῴχθησαν· καὶ βιβλίον ἄλλο ἠνεῴχθη, ὅ ἐστι τῆς ζωῆς· καὶ ἐκρίθησαν οἱ νεκροὶ ἐκ τῶν γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις, κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν.

13. Καὶ ἔδωκεν ἡ θάλασσα τοὺς ἐν αὐτῇ νεκροὺς, καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἔδωκαν τοὺς ἐν αὐτοῖς νεκροὺς, καὶ ἐκρίθησαν ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν.

14. Καὶ ὁ θάνατος καὶ ὁ ᾅδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός. οὗτος ἐστιν ὁ θάνατος ὁ δεύτερος.

15. Καὶ εἴ τις οὐχ εὑρέθη ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς γεγραμμένος, ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός.

vbi erat beſtia & pſeudopropheta, & cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.

11. *Et vidi thronum album magnum, & qvendam ei inſidentem, à cuius conſpectu fugit terra & cœlum, locuſqve non eſt inventus eis.*

12. *Et vidi mortuos, parvos & magnos, ſtantes in conſpectu* DEI, *& libri aperti ſunt: & liber alius apertus eſt, qvi eſt* liber *vitæ: iudicatiqve ſunt mortui ex iis qvæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum.*

13. *Et reddidit mare mortuos qvi in ipſo fuerant: & mors & infernus reddiderunt mortuos qvi in ipſis fuerant: & judicati ſunt ſinguli ſecundùm opera ipſorum.*

14. *Et mors & infernus conjecti ſunt in illud ſtagnum ignis: qvæ eſt mors ſecunda.*

15. *Et qvi non inventus fuit in libro vitæ ſcriptus, conjectus eſt in illud ſtagnum ignis.*

I.

PROLEGOMENA DE

Authore & subiecto huius capitis, ejusque connexione cum antecedentibus & sequentibus capitibus.

I.

De Auctore huius capitis.

AVthor princeps hujus capitis est idem, qvi totius libri: videl. IESVS CHRISTVS, qvi, tanqvam œconomus salutis nostræ, accepit hanc Apocalypsin à DEO Patre, illamque per angelum suum misit Iohanni Evangelistæ. *Apoc.* 1. *v.* 1. Itaqve author princeps est DEI Spiritus: *administer* est partim angelus, partim Iohannes, qvi *cap.* 1. *v.* 1. *&* 4. nomen suum absolutè & in genere ponit, sed paulò pòst *vers.* 9. velut digito intenso generalitatem istam restringit. *Ego Iohannes*

hannes: frater veſter, & ſocius, in afflictione & regno, & tolerantiâ qvæ eſt in Ieſu Chriſto. Eram in Inſulâ, qvæ vocatur Patmos. Hiſtoria, qvam deſcribit *Euſebius lib. 3. cap. 16.* docet Iohannem Evangeliſtam & Apoſtolum in Patmon Inſulam relegatum fuiſſe à Domitiano. Ex his efficitur, Iohannem Evangeliſtam & Apoſtolum fuiſſe DEI amanuenſem in hâc prophetiâ conſignandâ; & proinde *authoritatem* hujus libri, adeoqve & illius capitis, qvod explicare inſtituimus, eſſe divinam. Qvare meritò Apocalypſin iſtam maximi æſtimamus, tanqvam partem Scripturæ, qvæ DEUM habet authorem. Inprimis autem hoc nomine nobis commendata eſſe debet hæc prophetia, qvòd vltimam divinam voluntatis revelationẽ contineat, poſt qvam nulla deinceps prophetia expectanda ſit: qvodqve valde utilis ſit liber iſte hoc ſeculo, qvo viva praxis rerum hactenus abſtruſarum obverſatur ante oculos noſtros.

2.

De subiecto huius capitis.

HOc caput differit de singulari felicitate Ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis. *Singularis felicitas Ecclesiæ militantis* circumscribitur tribus partibus: videl. securitate ab hostili incursu impiorum per mille annos; resurrectione martyrum ante universalem resurrectionem: & miraculosa liberatione piorum à persecutione impiorum vltimâ, qvæ cõtinget post mille istos annos. *Felicitas Ecclesiæ triumphantis* hîc describitur qvantum ad initium triumphi in judicio ultimo: Hæc ut evidentiora fiant, ab ovo repetam statum Ecclesiæ in his terris, & breviter aliquid dicam de statu ejusdem in cœlo. *Status Ecclesiæ in his terris* alius est *ante lapsum primi hominis*; & is totus est legalis: alius *post lapsũ*; & is totus est evangelicus. Rursum status Ecclesiæ post lapsum est alius in-

ternus

ternus & perpetuus, alius externus & temporalis. *Status Ecclesiæ internus & perpetuus* consistit in unione & communione cum Christo, adeoque in illuminatione & gubernatione Spiritus. *Esa.* 54.5. *Hos.* 2.15.19.20. *Ioh.* 6.56. 1. *Cor.* 5.17. *Eph.* 5.30. 1. *Cor.* 10.7. 2. *Cor.* 11. 2. *Eph.* 3.6. *Gal.* 3.28. *Col.* 3.15. Hinc est, qvod Ecclesia est una, sancta, & invicta. *Status Ecclesiæ externus & temporalis* est tum crucis, seu persecutionis, tum lucis, seu refocillationis. Qvæ qvidem duo Ecclesia in his terris experitur alternis, sive per vices, tum in V. tum in N. T. idqve secundùm magis & minus. Nam *Adam & Eva* post lapsum tristissimum fuerunt erecti dulcissimâ Evangelii promissione, & postqvam genuerunt Cainum, Abelem, & ipsorum sorores, his Ecclesiæ incunabulis & rudimentis fuerunt exhilarati. Sed gaudium istud excepit luctus non mediocris, qvando Cain fratrem suum Abelem è medio sustulit. Verùm hæc ruina fuit sarcita in *Setho*,

cujus posteri Ecclesiam propagarunt, qvanqvam non sine gravi Cainitarum persecutione: cui finem imposuit diluvium anno mundi 1656. Inde Ecclesia fuit propagata usqve ad an. 1757. absque notabili persecutione, qvam isto tempore peperit extructio turris Babel, & inde orta divisio lingvarum. Anno mundi 2023. *Ecclesia fuit redacta ad Abrahami posteritatem.* Atqve hîc incipiunt anni 430. incolatus Israelitarum in Ægypto. Ubi *Abraham, Isaac, Iacob & Ioseph* multiplicem rerum adversarum & secundarum vicissitudinem sunt experti: *posteri autem ipsorum* post mortem Iosephi horrendâ servitute fuerunt exerciti, inde ab anno M. 2360. usqve ad an. M. 2453. qvo *Israelitæ fuerunt educti ex Ægypto.* Inde usqve ad an. 2493. *in deserto* varia DEI beneficia & judicia sunt experti. Postqvam verò *introducti sunt in terrã Canaan*, quod factum est an. M. 2493. primis sex annis Iosua feliciter debellavit Cananæos, devictis regibus XXXI. *Post mor-*

mortem Iosuæ, usqve ad an. M. 2879. Israelitæ variis servitutibus & persecutionibus fuerunt vexati, & ab iisdē per varios judices, nominatim Deboram, Gideonem, Samsonem, & Samuelem liberati. *Constitutâ iam politiâ regiâ* tempore Saulis, sive anno M. 2879. Ecclesia statim ab initio persecutionem sensit ab ipso Saule. Deinceps variam experta fuit sortem. Nominatim sub Davide & Salomone valde floruit: sub Roboamo magnam cladem est perpessa, decem tribubus deficientibus ad Ieroboamum. Qvâ occasione tristissimum regni schisma contigit: Ecclesiâ paulatim degenerante in regno Israel, cujus tribus X. sub Hoseâ, anno M. 3228. in gravissimam & adhuc durantem captivitatē abducuntur, in Colchos, Iberos, &c. Ecclesiam in regno Iudâ qvod attinet varias illa deformationis & reformationis, calamitatum & victoriarum vices fuit experta usqve ad an. M. 3350. qvo cœpit *captivitas Babylonica* LXX. anno-

annorum. Anno 3419. *Cyrus captivitatem istam solvit*, factâ Iudæis copia redeundi in Patriam, ibiqve autonomiam, qvantum ad regionem & religionem, stabiliendi. Verum enimuero *privilegium istud autonomiæ multis modis fuit interpellatum*, vsque ad an. M. 3527. hoc est, per annos 107. Inde vsque ad an. M. 3781. *Ecclesia Iudæorum sub Persis habuit gratissima halcyonia*, itemque *sub Alexandro M. sub posteris* autem *Alexandri, inprimis sub regibus Syriæ*, non vno modo fuit afflicta, donec anno M. 3783. & deinceps *Macabæi*, feliciter pugnarunt pro aris & focis. Ab anno 3887. Iudæa *à Romanis & Parthis* fuit devastata & pressa non uno modo, ita ut status ipsius admodum fuerit turbatus. Veniamus nunc ad *statum Ecclesiæ* N. T. Illum partimur in quatuor periodos. *Prima periodus* est Ecclesiæ Iudæorum piorum in Iudæâ, inde à Iohanne Baptistâ vsqve ad Concilium Hierosolymitanum, id est, ab anno M. 3948. vsque ad an. Christi 50.

Hoc

Hoc toto tempore Christus est natus, baptismus institutus, Iohannes trucidatus, Apostoli XII. & LXX. discipuli à Christo vocati, Christus passus, Spiritus sanctus super Apostolos effusus, Apostoli ob liberam doctrinæ prædicationem flagellati, &c. *Secunda periodus* est Ecclesiæ per totum ferè orbem dissem̃inatæ, & complectitur vocationem sive conversionem plerarumqve gentium, inde ab anno Christi 51. usqve ad initium mille annorũ. Hæc periodus habet qvatuor articulos. I. *sub Impp. Romanis ethnicis usqve ad Constantinum Magnum:* vbi Ecclesia fuit propagata sub variis persecutionibus, in qvibus excellunt decem, inde ab anno Christi 64. usqve ad an. Christi 323. II. *sub Imperatoribus Christianis,* à Constantino Magno usqve ad Phocam: ubi Ecclesia variis privilegiis fuit ornata à Constantino Magno, & aliis piis principibus: verũ ita, ut immanes qvoqve senserit persecutiones ab Arianis, à Iuliano, à Persis, Vandalis,

Go-

Gothis, &c. usqve ad an. Christi 606.
III *sub Pontificibus Romanis, potestatem suam longè lateq; propagantibus*: inde ab anno Christi 606. usq; ad an. 1617. sive à Bonifacio III. usqve ad Leonem X. Toto hoc tempore Ecclesia fuit miserrimè pressa, & tantúm non oppressa, partim à Saracenis & Turcis in Oriente, partim à Pontif. Rom. in Occidente. IV. *sub Pontif. Rom. inclinationem sui regni sentiētibus*: inde ab an. Chr. 1617. usq; ad initium mille annorum. Qvale fuerit, & adhuc sit, Ecclesiæ fatum, ab an. Christi 1617. usq; ad hunc currentem 1626. partim ex historiis, partim ex qvotidianâ experientiâ notum est. Qvale sit futurum, ab hoc, qvo ista scribimus, anno, usqve ad initium 1000. annorum, in specie definirenō possumus. In genere autem hoc scimus, Ecclesiam persecutione illâ, qvā nunc temporis experitur, cōflandam, purgandam, & dealbandam esse, ut hac ratione paulatim præparetur ad magnam reformationem, qvam adferet

ret apocha noſtra millenarij. *Tertia periodus Eccleſiæ* N.T. eſt inde ab initio mille annorũ uſq; ad finem illorum. Cõplectetur autem Eccleſia iſta tum martyres reſurrecturos, tum gentes nondum converſas, tum Judæos; & libera erit à perſecutionibus. Qvæ qvatuor qvia in dubium vocantur, probanda ſunt pluribus. Et primò qvidem qvod attinet ad reſurrectionem martyrum, illa ὀφθαλμοφανῶς demonſtratur ex Apoc. 20. v. 4. Deinde *converſionem gentiũ, qvæ nondum ſunt vocatæ ad Eccleſiam*, graphicé depingit Apoſtolus *Rom.* 11. 25. ubi diſertè docet, *plenitudinem gentium* eſſe congregãdam ad Eccleſiam. Qvibus verbis docet, nullam ex gentibus ſive ethnicis nationem fore, qvæ non colligenda ſit in gremiũ Eccleſiæ. Huc etiam ſpectat, qvod *Gen.* 48. *v.* 19. dicitur, ſemen Ephraiim fore *magnam plenitudinem gentium*. Neq; enim hoc intelligi poteſt de numeroſâ Ephraimi prole: vtpote qvâ tribus Juda præpollebat. Et vox *Goiim* ethnicis ꝓpria eſt.

Itaq;

Itaqve hic sensus fuerit: Ex Ephraimo descendent innumeræ gentes, qvæ suo tempore confluent ad evangeliũ. Porrò Christus *Luc.* 21. 24. docet *implenda esse tempora gentium*. Sic *Gen.* 17. *v.* 4. 5. Deus promittit Abrahamo, ipsum Patrem futurum multitudinis gentium: & *Gen.* 18. 18. in eo benedicendas esse omnes gentes terræ. His adde *Psal.* 22. 28. *Matth.* 24. 14. *& Apoc.* 12. *v.* 5. Si qvis excipiat, conversionem gentium factam esse paulò post primũ Christi adventum; sciendum est, tum temporis non omnes gentes esse vocatas. Itaque duplex statuenda est cõversio, seu vocatio gentium, prima videl. & secunda. Illa facta est tempore Apostolorum & successorum: hæc nõdum facta est, sed fiet demum paulò ante conversionem Iudæorum. Unde hæ duę cõversiones cõjunguntur. *Esa.* 11. 12. *Zach.* 11. *v.* 10. *& seqq.* Vide hanc in sententiã inter alios *Iustum Heurnium de legatione Evangelica ad Indos capessenda*: & *Keplerum de Stellâ novâ Serpentarii*, vbi fol.

fol. 206. ſcribit, omnes hodiernas inter Chriſtianos uſitatas contentiones, cultuſqve differentiam eò vergere, ut ex mutuâ ruinâ, occaſio ſit conuertendorum hinc Indorum, inde Iudæorum & Turcarum. Sed jam videamus *de converſione Iudæorum*. Illa promittitur *Gen.* 49. *v.* 18. 19. *Num.* 23. *v.* 23. *Deu.* 30. *v.* 3. 6. 8. *c.* 32. *à verſ.* 19. *ad* 43. *Eſa.* 11. *v.* 11. 12. *c.* 43. *v.* 5. *& ſeqq. ca.* 45. *v.* 22. 25. *c.* 59. *v.* 20. 21. *Ier.* 16. *v.* 14. *ca.* 23. *v.* 3. 4. *c.* 31. *verſ.* 31. 32. 33. 34. *Ezech.* 36. *v.* 26. *& ſeqq. Hoſ.* 1. *v. ult. ca.* 3. *v.* 4. 5. *Mich.* 2. *v.* 12. *c.* 4. *v.* 6. *& ſeqq. cap.* 5. *v.* 5. 6. 7. *Zephan.* 3. *v.* 11. 12. 13. 19. 20. *Amos. ult. v.* 14. *& ſeqq. Zach.* 11. *v.* 16. *Roman.* 11. *v.* 25. 26. 27. 2. *Corinth.* 3. *v.* 16. *Matth.* 23. *v. ult. Luc.* 21. *v.* 24. Explicationem horum locorum vide infrà in qvæſtionibus, & paſſim apud *Iohannem Ferum in explicatione Gen. c.* 21. 27. *&* 38. *Seraphinum Firmianum enarrat. Apocal. c.* 14. *Remalcum de Vaulx in Harpocrate divino fol.* 339. *Martinum Cellarium tractatu de operibus* DEI, *Cœlium Secundum*

Curio-

Curionem de amplitudine beati regni Dei *lib.* 1. *Petrum Cunæum lib.* 1. *de repub. Iudæorum c.* 18. *Iustum Heurnium de legatione Evangelicâ ad Indos c.* 4. *authorem tractatus*, Ohnvorgreifliche betrachtung von den letzten Merckzeichen der Welt Ende/ *c. vlt. Iohannem Dobricium in Chronomenytore, Christophorum Besoldum in Pentade deniqve theologos veteres & recentes super cap.* 11. *epist. ad Rom.* His addi possunt duæ istæ rationes. Iudæi vagãtur hinc inde per totum orbem, dispersi, palabundi, cœli & soli sui extorres. Deus itaqve proculdubio illos reservat ad opus aliqvod magnum & admirandum. 2. Christus ortus est ex Judæis, & qvoq; illis est promissus sæpissimè ac magnificentissimè. Itaqve non est credibile, illos hunc Messiam non agnituros aliqvando. Neqve est, qvod objicias, tempore Christi & Apostolorum Judæos esse conversos. Hæ siqvidem sunt primitiæ Judæorum. Et hæc conversio est partialis. Videris hâc de re *Iustum Heurnium d. l.* qvi ad-

mo-

modum accuratè hoc argumentum exeqvitur, & exiſtimat, eum ordinem futurum in recõciliatione Judæorum: ut primùm decem tribus ab Aſſyriis abductæ, conuertantur: qvibus deinceps tribus Juda & Benjamin ſeſe adjungant. Idem conjectat, Judæorum reliqvias conuerſas, & cum ethnicorum Eccleſia unitas, inſultibus adverſariorum DEI reſtituros, & Antichriſtum oppugnaturos. Ego tamẽ exiſtimarim, Judæos ex ruinâ Antichriſti occaſionem ſuæ cõverſionis accepturos. Sed hoc ad qvæſtionis cardinem nihil attinet. Supereſt ut demonſtremus, Eccleſiam ex gentibus & Judæis ita collectam, *liberatum iri à perſecutionibus hoſtium.* Id probatur ex *Deut.* 32. *v.* 40. 41. 42. 43. *Pſal.* 96. *per totum.* *Pſal.* 110. *v.* 5. 6. 7. *Eſa.* 11. *v.* 1. 2. 3. 4. *cap.* 24. *v.* 23. *c.* 25. *v.* 1. *& ſeqq. uſqve ad* 13. *ca.* 26. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. *c.* 33. *v.* 20. 21. 22. 23. 24. *c.* 34. *à v.* 1. *ad* 18. *c.* 49. *v.* 24. 25. 26. *cap.* 54. *v.* 14. 15. 16. 17. *c.* 59. *v.* 16. 17. 18. 19. 20. 21. *c.* 63. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Dan.* 12. *vol.* 1. *Ioel.* 3. *v.*

3. v. 1. 2. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Mich.* 4. per *totum. Zeph.* 3. v. 9. *ad* 20. *Zach.* 11. v. 10. *ad* 17. c. 12. v. 1. *ad* 9. c. 14. v. 6. *& seqq. per totum. Malach.* 3. v. 19. 20. 21. *vel* c. 4. v. 1. 2. 3. *Apoc.* 14. v. 8. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. c. 18. *per totum. cap.* 19. v. 1. 2. 3. 11. *& seqq.* c. 20. His locis describitur liberatio Ecclesiæ N. T. à persecutione hostili Evangelii per illorum deletionem: unde orietur pax ejus diuturna, illuminatio & regeneratio major quàm nunc est, majestas seu gloria, & gaudium sincerum. Quæ hinc inde in locis citatis adsperguntur & infrà in quæstionibus explicantur. Atqve hic est futurus Ecclesię status felix per mille annos in hac vita: qui constabit ex his partibus, 1. ex resurrectione martyrum, & ipsorum regno in his terris. 2. ex incremento Ecclesiæ seu multitudine per conversionem gentilium & Judæorum. 3. ex liberatione Ecclesiæ à persecutione hostium per illorum deletionem. 4. ex pace ipsius diuturna. 5. ex reformatione doctrinæ &

vi-

vitæ. 6. ex majeſtate, ſeu gloriâ Eccleſiæ. 7. ex gaudio ejus ſincero. Seqvitur nunc *qvarta periodus Eccleſiæ N.* T. inde à fine mille annorum uſqve ad ultimum judicium. Toto autem iſto tempore ſtatus Eccleſiæ erit admodum miſerabilis propter bellum Gog & Magog, cui finem imponet Chriſtus illuſtri ſuo ad judicium univerſale adventu *Apocal.* 20. *v.* 3. 7. 8. 9. 10. Atqve ita deſcripſimus ſtatum Eccleſiæ V. & N. T. in his terris. *Status Eccleſiæ in cœlis* erit perfectæ glorificationis, perpetui triumphi, abſolutæ regenerationis, exactæ illuminationis & ineffabilis gaudii.

Atq; hæc eſt plena doctrina de ſtatu eccleſiæ: qvam ſic adumbramus.

Status ecclesiæ est in
His terris
Ante lapsum hominis, plane felix.
Post lapsum: est q2
Internus, perpetuus, & communis omnium locorum, temporum, & electorum,
Externus, temporalis, & proprius: is q2 est testamenti
Veteris, sub
Patriarchis.
Iudicibus.
Regibus.
Magistratu vario post captivitatem Babylonicam.
Prima est Iudæorum, ad an. Christi 51.
Novi: ubi sunt quatuor periodi. Ex his
Secunda est Gentium, sub
Imperatoribus
Pontificib. Romanis
Romanis ethnicis.
Christianis vsq; ad Phocam.
Tertia est Iudæorum & Gentium per 1000. annos.
Plene dominantibus.
Paroxysmum experiis.
Quarta est eorundem post istos 1000. annos.
Cœlu: vbi est triumphi
Initium in vltimo judicio.
Consummatio in vita aterna.

Affectiones iſtius multiplicis ſtatus ita delineamus.



De connexione huius capitis cum superioribus.

IOhannes in sua Apocalypsi, qvam à DEO accepit anno Christi 94. post proœmium *cap.* 1. *usqve ad v.* 9. describit septem generales visiones hoc ordine.

Prima visio est septem aureorum cãdelabrorum, & totidem stellarum: estqve de statu præsenti & futuro septem Ecclesiarum in Asia, *c.* 1. 2. 3.

Secunda visio est libri clausi & obsignati septem sigillis. *c.* 4. 5. 6. estqve de statu Ecclesiæ N. T. post excessum Johannis, usqve ad an. Christi 606.

Tertia visio est septem tubarum *c.* 8. 9. 10. 11. estq; de statu Ecclesiæ ab anno Christi, 606. usq; ad annum 1517.

Quarta visio est mulieris parturientis & draconis, bestiæ & agni *c.* 12. 13. 14. estq; partim descriptio nativitatis Christi, partim recapitulatio & expositio visionis secundæ & tertiæ, adeoq;

de

de ſtatu Eccleſiæ N. T. inde à Chriſti nativitate uſq; ad annum 1517.

Qvinta viſio eſt ſeptem phialarum *c.* 15. 16. è qvibus tres priores ſunt effuſæ inde ab anno Chriſti, 1517. uſque ad an. 1625. qvatuor ſeqventes effundentur ab anno 1625. uſqve ad annum Chriſti 1694. qvo videntur incipere mille anni.

Sexta viſio eſt partim pœnarum, tum illarum quæ manebunt peculiariter meretricem & ipſius cultores ante initium mille annorum *cap.* 17. 18. 19. tum iſtarum, quæ infligentur omnibus Eccleſiæ hoſtibus partim futuræ felicitatis Eccleſiæ his in terris. *c.* 20. *v.* 1. *ad* 7. poſt finem annorum illorum *c.* 20. *v.* 7. *& ſeqq.*

Sept. viſio eſt civitatis cœleſtis *c.* 21. 22.

II.

ARGVMENTVM huius capitis.

POſtqvam Evãgeliſta narravit, qvid evenerit primæ beſtiæ & pſeudo-

prophetæ, ipsorumq; assectis, c. 19. & 20. 21. jã narrat, qvid evenerit ipsi draconi. Nã expugnato mysterio iniqvitatis, & inflictis primæ bestiæ & pseudoprophetæ debitis pœnis & supplicijs, descendit angelus de cœlo, q magna præditus virtute cavet, ne draco, id est, Satanas, ampliùs per impiorum ministerium solitas turbas excitet in Ecclesia militante. Qvare cùm non ampliùs permittatur illi aditus ad solitas impostu ras, sed vinctus includatur abysso per mille annos, non seducuntur ab ipso gentes, donec solutus è carcere pristinas machinas admoveat Ecclesiæ. Itaqve toto illo mille annorum spatio Ecclesia fruitur pace corporali, resuscitatis martyribus, & conversis gentibus adeoqve & Judæis, ad fidem Christi. Elapsis autem mille annis solvitur Satanas, & Ecclesia graviores prioribus experitur afflictiões in bello Gogico & Magogico. Tandem detruso Satana in abyssum cum omnibus militia, sancti cum Christo regnant in perpetuum.

ANA-

III.

ANALYSIS.

I.

Analyſis philologico-theologica, id eſt, gramma tica, rhetorica, & theologica.

ET] id eſt, deinde. Καὶ accipiẽdum eſt tranſitiuè, hoc ſenſu: Poſtqvam vidi beſtiam & pſeudoprophetam conjici in ſtagnum ignis ardens ſulphure; & reliqvos occiſos rhomphęa ejus qvi eqvo inſidebat, & omnes oves ſaturatas carnibus eorum: vidi ea, qvę jam ſeqvuntur. *Vidi*] nempe in Spiritu, ſive mentis exceſſu. Cõfer *Apoc.* 1. *v.* 10. Eſt itaq; ſynecd. gen. *Angelum.*] Spiritum bonũ, adminiſtrum judiciorum DEI: qvales in ſuperioribus viſionibus fuerunt. Non itaq; hîc intelligitur Chriſtus, vel doctor aliquis Eccleſiæ. *Deſcendentem è cœlo.*] nempe tertio, ſive beato-

rum. Synecd. gen. *Qui habebat clavem abyssi.*] hoc est, potestatem acceperat à DEO, aperiendi & claudendi infernum. Metaph. & Synecd. gen. Non itaq; per clavem abyssi oportet intelligere lumen aliqvod internum, qvod accendat insignis aliqvis doctor Ecclesiæ, ut illius ope introspiciatur Scriptura, illiusqve profunda theologia, *Et catenam magnam in manu suâ*] Metaph. gemina. Intelligitur autem magna potestas vinciendi & constringendi hostem. Perperam itaqve exponitur hæc catena de scriptis entheis angeli alicujus Ecclesiæ, sive pastoris, qvæ instar catenæ cohæreant, cœlum & terram colligent, & corda credentium ad DEUM trahant.

2. *Et apprehendit.*] q. manu injecta. *Draconem:*] immanem, virulentum, & violentum Christi & Christianorum hostem. Metaph. *Serpentem illum antiqvum* Jqvi sinuoso & flexiloquo orationis genere mox ab origine mundi primos nostros parentes seduxit, qvi-

qve

qve veterem cuticulam retinet. Allegoria. *Qvi eſt diabolus.*] calumniator, ſophiſta, & omnium DEI, Chriſti, & piorum angelorum & hominum bene ac dextré dictorum & factorum ſiniſter interpres. *Et Satanas.*] adverſarius, & hoſtis perpetuus Dei, Chriſti, & Eccleſiæ. *Et vinxit eum.*] Metaph. inhibēdo ſcilicet ipſius conatum nefarium. *Mille annos.*] ſolares & uſitatos.

3. *Conjecitq; eum in abyſſum.*] id eſt, ſummâ vi cohibuit Satanæ malignitatem, ipſo detruſo in infernū. Metaph. *Et clauſit eum.*] id eſt Satanam. q.d. non ſolùm compegit ipſum in carcerem, ſed etiam carcerem iſtum adeoqve & Satanam eò conjectum, clauſit. *Et obſignavit ſupra eum.*] Figura rhetorica, qvæ dicitur, ἄυξησις, *incrementum.* Qvatuor nempe ſunt actus angeli: Vinxit Satanam, vinctum conjecit in abyſſum, clauſit abyſſum, & clauſam abyſſum obſignauit. Eſt etiam allegoria. Ut *ne ſeduceret.*] videl. partim per idololatriam, ſuperſtitionem, & effi-

caciam erroris, partim ad referendum bellum Ecclesiæ. Metaph. *Amplius.*] Ut fecit antehac. *Gentes.*] Τὰ ἔθνη, id est, nationes, adeoqve Judæos & Gentes. Itaq; est Synecd. Spec. qvia vox hæc ἔθνη, in Scripturis propriè significat gentiles, prout Judæis opponuntur. Qvòd autem hoc loco amplietur ista vox, ita patet. Diaboli potestas ita constringitur, ut neq; Judæos, neqve Gentes ampliùs possit seducere per istos mille annos. Itaq; latè accipienda est vox ista *Gentes.* Qvare Judæorum conversio his verbis describitur implicitè. *Donec consummati essent mille anni:*] Expleto nempe curriculo felicitatis Ecclesiæ in his terris. *Et postea oportet eum solvi.*] Elapsis namq; mille istis annis, diabolus justo DEI judicio, recuperabit postliminio suam potestatem, ut qvidem longè auctiorem. Metaph. in voce *solvi.* *Ad exiguum tempus.*] Regnum illud Satanæ non numerabit mille annos, sed erit exigui temporis.

4. Et

4. *Et vidi thronos.*] Deinde vidi adornari proceſſum judicialē. Metaph. & Synecd. *Et conſederunt ſuper eos.*] Scil. Chriſtus, & ſancti angeli.

Et judicium datum eſt eis.] Poteſtas judicandi data eſt divinitus tum Chriſto, tanqvam judici, tum angelis, tanquam adſeſſoribus. Confer *Matth.* 25. *v.* 31. *Et animas.*] Repetendum ἀπὸ κοινῦ verbum *vidi.* q.d. Vidi tum judices, Chriſtum & angelos; tum judicandos, id eſt, abſolvendos in hoc judicio. Eſt autem ſynecdoch. ita ut animæ ponantur pro hominibus. *Eorum, qui ſecuri percuſſi fuerant.*] id eſt, occiſorum, qvovis ſupplicii genere. Synecd. ſpeciei, & periphraſis martyrū *Propter teſtimonium Ieſu.*] Qvo teſtati ſunt de Chriſto, ipſum ſolū eſſe Jeſum, id eſt, unicum Salvatorem merito & efficaciâ. *Et propter ſermonem Dei.*] id eſt, Scripturam ſacram. Synecd. gen. Qvam ſolam docuerunt eſſe regulam fidei & vitæ. *Et qvi non adorarant beſtiā.*] Scil. ſecundam, de qva c. 13. & 19. quæ.

divinos Christi honores sibi arrogarat. *Neq; imaginem ejus.*] id est, reges & principes illos, qvi sunt imago bestiæ, id est, similitudine doctrinæ & vitæ illam referunt. Confer *Apocal.* 13. v. 14. Et *non acceperant characterem ejus in fronte sua.*] Per characterem intelligitur nota characteristica, sive tessera: qvam in fronte dicuntur gestare, qvi publicè profitentur, se esse addictos huic vel illi domino. Et *in manu suâ.*] id est, actionibus, & ritibus. His itaqve verbis continetur tacita antithesis, qva martyres opponuntur mancipijs bestiæ, de qvibus prædicatur suprà *cap.* 13. *à v.* 14. *ad* 15. qvòd adoraverint imaginem bestiæ, & acceperint characterem ejus in manu sua dextra, aut in frontibus suis Ex his manifestum est, martyres hîc describi per μεϱισμόν passionum & actionum suarum. Et *vixerunt.*] id est, revixerunt: ut colligere est ex antitheſi *v.* 5. Reliqvi verò mortui *non revixerunt.* Ita supra *c.* 2. *v.* 8. de Christo dicitur, Qvi fuit mor-

mortuus, & ἔζησε, pro ἀνέζησε, *vixit* pro *revixit*. Hic itaq; deſcribitur præmium ſingulare, qvod acceperunt martyres pro paſſionibus & actionibus ſuis eximiis. *Atqve regnarunt.*] Conſtituti ſcil. rectores Eccleſiæ in his terris gratiſſima halcyonia conſecutæ. *Cum Chriſto.*] Qvi toto hoc tempore regnabit in cœlo viſibiliter, in his terris inviſibiliter, viſibili regno reſignato martyribus. *Per mille iſtos annos.*] de qvibus verſ. præced. Nam mille annos Satanæ ligati, & regni ſanctorum martyrum cum Chriſto, eſſe eoſdem, non diverſos, articulus τὰ χίλια ἔτη, qvater repetitus, videl. verſ. 3. 4. 5. 7. ſatis indicat: & terminus idem in ſolutione Satanæ ſtatutus omninò evincit. Contortum itaqve eſt, qvòd qvidam annos mille verſ. 4. & 6. accipiunt tropicè per ſynecd. de æternitate: reliqvos verſ. 3. 5. 7. ſecundùm literam.

5. *Reliqui verò mortuorum.*] Tum piorum, tum impiorum. *Non revixerunt.*]

runt] id est, non facti fuerunt participes felicitatis & prærogativæ illius, qvâ fidelium qvorundam multitudo resurget ante universalem & ultimam resurrectionem, & cum Christo regnabit his in terris. *Donec consummati essent mille isti anni.*] Nam illis elapsis non longè post veniet Christus ad judicium, qvod manebit vivos & mortuos. *Hæc est resurrectio illa prima.*] Qvâ nempe corpora martyrum resurgent initio mille istorum annorum. Non itaqve hîc oportet intelligere resurrectionem Spiritualem, qvâ resurgitur è somno & morte peccati: Nam illa resurrectio est communis omnium bonorum, & fit qvotidie. Qvare sic habendum est de resurrectione, cujus meminit Scriptura.

Re-



6. *Beatus.*] ſcil. Speciali beatitudine, qvæ eſt propria martyrum. Synecd. *Et ſanctus.*] id eſt, à DEO ex ſingulari gratiâ ad prærogativam ſpecialis illius beatitudinis ſegregatus. Synecd. gen. *qvi habet partem in reſurrectione illâ primâ.*] id eſt, qvi erit in numero martyrum, qvi reſurgent in reſurrectione primâ. *In hoc enim mors ſecunda non habet poteſtatem.*] Mors ſecunda eſt abjectio damnatorum in cruciatus æternos. Confer *verſ.* 14. Alias dicitur mors æterna. *Sed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti.*] Nam communi ratione, qvâ omnes

omnes electi in hac vita sunt sacerdotes spirituales, qvi seipsos per spiritum Christi offerũt DEO: sed speciali prærogativâ, qvâ martyres illi excitati in Ecclesia primas tenebunt tanqvam sacerdotes DEI & Christi, sicut ante mille istos annos sacerdotes Antichristi primas tenuérunt. Et *regnabunt cum eo mille annos.*] In ecclesia scil. non impedito Christianismo. Vide *Apoc.* 5. 10. & infra in qvæstionibus. Itaq; martyrum beatitudo specialis consistit in resurrectione primâ, regnatione cum Christo, & sacerdotio, eo nempe modo, qvo jam explicavimus.

7. *Et cum expleti fuerint mille isti anni.*] Felicitatis nempe Ecclesiæ, seu liberi & universalis Christianismi. *Soluetur Satanas, è carcere suo.*] id est, licentiã suam impunè grassandi & seducendi, per mille annos sopitam, & qvodammodo sepultam, recuperabit, permittente angelo, penes qvem situm est Satanam ligare & solvere ex nutu & jussu DEI.

8. Et *exibit.*] Scil. ex carcere suo, seu

seu ex custodiâ suâ, de qvâ *vers. præced.* id est, ex abyssо, ubi fuit custodiendus. Metaph. *Vt seducat gentes in qvatuor angulis terræ.*] id est, impios, qvi hinc inde per mundum erunt reliqvi sub finem mille istorum annorum. Hos seducet Satan, incitando illos ad bellum adversus sanctos. *Gogum & Magogum.*] Id est, gentes illas, qvas seducet Satan tum temporis, qvæq; sub finem mille istorum annorum bello adoriētur ecclesiam, eamqve opprimere satagent, uti olim Gog & Magog populum Judaicum vexabant. Itaq; per Gog & Magog hîc intelliguntur omnes professi hostes Ecclesiæ, sicut Gog, id est, populi minoris Asiæ, qvæ à septentrione Judæam claudebat; & Magog, id est, Scythæ, loca ad meridiem Judææ sita inhabitantes, erant professi hostes Judæorum. Est itaq: synecd. speciei: & genus restringitur ad speciē, hoc modo: Diabolus seducet gentes in qvatuor angulis terræ; gentes, inqvam, Gogico & Magogico præditos ingenio.

nio. Vide apud *Ezechielem c.* 38. & 39. Sed inqvis, quomodo fieri potest, ut impii per istos mille annos resumant vires? Resp. Hoc fiet justo Dei judicio: qvo non solùm magnus Antichristus reflorescet, sed etiam pagani, barbari, & hujus farinæ monstra sument incrementum. *Vt congreget eos in prælium.*] Adversus universalem Christianismum, ut illo eliminato substituant Antichristianismum, barbarismum, Scythismum, &c. *Qvorum numerus erit sicut arena maris.*] Ita ut sit exercitus instructissimus, cui qvidem similis nunqvam fuerit. His nempe copiis confisus Satanas sperabit, se Ecclesiam absorpturum.

9. *Et ascenderunt super latitudinem terræ.*] Tantus exercitus conflabitur, ut terræ nulla pars ab illo futura sit vacua. Sternetur militibus omne solum. Hi ascendent, id est, summâ vi & ope nitentur. Alluditur hîc ad typum Gog & Magog, qvi oppugnaturi Hierosolymam, in monte sitam, necesse habebant

bant aſcendere. Eſt itaq; metaphora. *Et obſidione cinxerunt.*] Adhuc alluditur ad typum. Nam Eccleſia tum temporis circum circa claudetur agminibus hoſtium, vt olim Judæa hinc inde à Gog & Magog, populis illis feris & barbaris, claudebatur. *Caſtra ſanctorũ.*] id eſt, ubi ubi erant veri milites Chriſti, in ſtatione ſua militantes. *Et urbem dilectam.*] id eſt, Eccleſiam totam, qvæ eſt una urbs per totum mundum tum temporis diffuſa. Allegoria. *Et deſcendit ignis à Deo è cœlo, & devorauit eos.*] Tale quid nempe continget, quale Gen. 19. legimus de Sodoma & Gomorrha. Itaqve ut primus mundus diluvio aqvę perijt: ita Gog & Magog in fine ſeculi peribunt diluvio ignis.

10. *Et diabolus ſeducens eos conjectus eſt.*] Aliter nempe, qvàm verſ. 3. Hic enim ita conjicitur, ut non ampliùs ſit ſolvendus. *In ſtagnum illud ignis & ſulphuris.*] Deſcriptio inferni. *Vbi erat beſtia.*] id eſt, prior illa, qvæ deſcribitur *Apoc.* 16. *v.* 13. Diſtinguitur .n. à pſeudo-

pro-

propheta, qvi est idem cum bestiâ posteriore. Est itaq; metaphora synecdochica. *Et pseudopropheta*] id est, magnus Antichristus. Apollyon, meretrix Babylonica, sophismatis suis seducens homines, & larvatam religionem svadens atq; persvadens, deniq; honores & opes hujus mundi qværens, nonaliter atqve pseudoprophetæ V. T. solebant. Synecd. gen. qvâ Antichristus dicitur pseudopropheta κατὰ ἐξοχήν. *Et cruciabuntur.*] Nempe tres illi: diabolus, sive draco, & duo ipsius socij, bestia & pseudopropheta. *Die ac nocte.*] Indesinẽter, absq; intermissione. Synecd. Spec. *In secula seculorum.*] Polyptoton, & descriptio æternitatis.

11. *Et vidi thronum album magnum.*] Asyndeton. *Thronus* iste est nubes, idem thronus *magnus* figurat judicium universale: idem *candidus*, est symbolum veritatis, æqvitatis, & justitiæ. *Et qvẽdam ei insidẽtem.*] Christum θεάνθρωπον. Ille autem sedere conspicitur: ut hoc symbolo doceamur, ipsum esse paratũ

ad

ad jus dicendum. *A cujus conſpectu.*] Fulgentiſſimo & ſeveriſſimo. *Fugit terra & cœlum.*] Id eſt, ſchema hujus mundi præterijt, & conſumtum fuit ab igne, qvi præceſſit hunc judicem; & creaturæ, incolæ terræ atq; cœli, contremuerunt ad hujus judicis aſpectum. Eſt itaque ſynecd. & metonymia. *Locuſq; non eſt inventus eis.*] Præ fulgore & majeſtate ejus, qvam nulla creatura poteſt ferre, niſi mutetur in aliam conditionem. Itaq; totus mundus mutabitur in hoc judicio.

12. *Et vidi mortuos.*] Id eſt, eos, qui fuerant mortui, tunc autem excitati, adeoqve vitæ reſtituti. Synecd. *Parvos & magnos.*] Dichotomia, qvæ phyſicè, de qvantitate, & moraliter, de dignitate poteſt intelligi: qvo ſenſu Germani dicunt Klein vnd groß Hans. Itaqve ſiſtentur omnes coram tribunali Chriſti. *Stantes in conſpectu Dei.*] qvippe expectantes ſententiam definitivam. Et *libri aperti ſunt.*] Libri ſunt non ab aliis confecti, aut ſcripti, ſed ab

uno-

unoqvoqve exarati in conscientia, variis cogitatis, dictis, & factis. Metaphora. Hi libri ita scripti, hactenus in certo rationario clausi & incogniti sunt reservati. At nunc aperiuntur, ut à singulis legi possint. Allegoria. *Et liber alius apertus est.*] Unicus nempe, à DEO scriptus. *Qvi est liber vitæ.*] Id est, arcanum DEI decretum de electione nostri, qvod solenniter ibi innotescet. Dicitur autem liber vitæ: qvia in illo Deus veluti consignavit nomina eorum, qvi hæredes sunt vitæ æternæ per ipsius gratiam. Confer *Luc.* 10. *v.* 20. *Iudicati q̃ sunt mortui.*] Latâ sententiâ definitivâ, alios absolvẽte, alios cõdemnãte. *Ex iis qvæ scripta erãt in libris.*] Sc. conscientiarum. Aperientur autẽ aliter atq; aliter isti libri conscientiarũ. Nam libri seu conscientiæ piorum non ita aperientur, ut ipsorum peccata veniant in judicium (ita enim obsignati sunt hi libri) sed ita ipsis aperientur, ut legant ibi sua peccata, multa sanè & magna, qvatenus illa tecta sunt à Christo, & à Spiritu

Spiritu Christi per pœnitentiam & ſtudiũ bonorum operũ magis ac magis enervata. Itaq; pij in ſua conſcientia legent juſtitiam Chriſti tegentem peccata ſua, & ex ſe parientem bona opera. Sed alia erit conditio impiorum. Nam illi legent in conſcientiis ſuis peccata ſua non cõdonata à Chriſto. *Secundum opera ipſorum.*] Teſtantia videlicet de fide in Chriſtum, vel de impietate & infidelitate.

13. *Et.*] Tranſitivè pro, *Deinde*; poſt judicis nempe ſententiam jam latam & promulgatam. *Reddidit mare mortuos qvi in ipſo fuerunt.*] Scilic. ſubmerſi, à piſcibus devorati, &c. *Et mors.*] id eſt, ignis, aër, & beſtiæ terreſtres, atque volatiles, reddiderunt mortuos, qvi non fuerunt ſepulti. Synecdoche catachreſtica. *Et infernus.*] Id eſt, ſepulchrum. Synecdoche. Continetur itaque his verbis partim periphraſis reſurrectionis univerſalis, partim diſtributio cadaverum hominum mortuorum in tres

tres classes: unam eorum, quæ in ma
submersa sunt, alteram eorum, qvæ
extra mare mortua sunt, sed non se-
pulta, ut qvæ ab igne vel aëre in cine-
res redacta sunt, aut à bestiis terrestri-
bus vel volatilibus devorata; tertiam
eorum, qvæ in sepulchris recondita
sunt. *Reddiderunt mortuos.*] Justu & nutu
DEI. *Qvi in ipsis fuerant.*] Illos ipsos, &
non alios: eosdem numero. *Et judicati
sunt singuli.*] Nemine excepto. *Secun-
dùm opera ipsorum.*] Ita ut nulli facta fue-
rit injuria.

14. *Et mors.*] *Et* pro *autem* adversa-
tivè. *Mors.* id est, qvidam, & qvidem
pleriqve ex mortuis, sed non sepultis.
Metonymia subiecti & synecdoche
gen. *Et infernus.*] Id est, sepulchrum.
Ponitur autem sepulchrum pro sepul-
tis per metonym. subj. Rursus intel-
liguntur non omnes sepulti, sed ali-
qvi, & qvidem pleriqve, per Synecdo-
chen. Per mortem tamen & infernum
possunt etiam intelligi homines mor-
te & inferno digni. *Conjecti sunt in illud*
sta-

ſtagnum ignis.] Id eſt, æternæ damnationi mancipati, ne qvid nobis ſit in poſterum ab his periculi & metus. *Qvæ eſt mors ſecunda.*] id eſt, æterna. Pronomen *Qvæ* poteſt referri ad vocem ſtagnum, vel per ſyneſin accipi. Priori modo ſtagnū ignis eſt mors ſecunda, id eſt, ſymbolum mortis ſecundæ ſeu æternæ: poſteriori judicium damnationis executioni mandatum eſt mors æterna. Dicitur autem hæc mors ſecunda, qvia & corpus & anima damnatorum reverâ bis moritur. Nā corpus moritur, & qvando ſeparatur ab animâ, & qvando iterum conjunctum animæ ſeparatur à DEO: anima verò moritur, & qvādo in hâc vitâ ſe ipſam à DEO ſeparat per peccatum, & qvādo poſt hanc vitam ſeparatur à DEO per pœnam æternam. Deniq; hæc pœna dicitur mors: qviá tollit vitam gratiæ & gloriæ, cum quâ ſi comparetur vita naturæ, mors potius dicenda eſt qvàm vita.

15. *Et qvi non inventus fuerit.*] Et pro

nempe: copulativa pro declarativâ. Inventio tribuitur DEO per ἀνθρωποπάθειαν. *In libro vitæ scriptus.*] Tum à priori, per DEI dilectionem & electionem: tum à posteriori, per fidem, spem, & charitatem. *Conjectus est in illud stagnum ignis.*] Justo Dei judicio, & suâ ipsius culpâ.

2.

ANALYSIS

Logico-theologica.

QVinqve sunt partes hujus capitis.

I. Descriptio angeli, *v.* 1.

II. Effecta angeli, *vers.* 2. *& prima parte v.* 3.

III. Status Ecclesiæ felix in his terris, qvi excepit effecta angeli, *parte secunda v.* 3. *& v.* 4. 5. 6.

IV. Status iste Ecclesiæ turbatus, *v.* 7. 8. 9. 10.

V. Descriptio ultimi judicii, *v.* 11. *usq; ad finem.*

De prima parte. Angelus describitur 1. ab adjuncto occupato, qvod est Jo-

Johannes Evangeliſta, cujus effectum adjuncto tempore illuſtratum, eſt ibi: *Deinde vidi.*

2. à propria perſona, ſive ſubjecto, ibi: *Angelum.*

3. ab effecto, qvod illuſtratur ſubjecto loco, ibi: *Deſcendentem è cœlo.*

4. ab adjuncto gemino, qvod illuſtratur triplici ſimilitudine, ibi: *Qvi habebat clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſuâ.*

De ſecunda parte. Qvinq; effecta iſtius angeli recitantur è qvibus

1. primum illuſtratur deſcriptione objecti allegorica, ibi: *Et apprehendit draconem, ſerpentem illum antiqvum, qvi eſt diabolus & Satanas.*

2. ſecundum illuſtratur circumſtantia temporis, *Et vinxit eum ad mille annos.*

3. 4. 5. reliqva tria commemorantur additâ indicatione finis, ibi: *Conjecitq; eum in abyſſum, & clauſit eum, & obſignavit ſupra eum, ut ne ſeduceret amplius. &c.*

De tertia parte. Status Ecclesiæ fel. in his terris est cõmunis, vel proprius.

Status communis est omnium piorum tum temporis viventium, ibi: *Ut non seduceret amplius.* Describitur autem hic status

1. ab amplitudine subjecti, *Ne seduceret gentes.*

2. ab adjuncto tempore, *Donec consummati essent mille anni.*

3. à causa corrumpente felicitatis *Nam postea*, &c. Istius autem corruptionis indicatur tum efficiens, puta decretum Dei, *Oportet eum.* tum modus sive forma, *Solvi:* tum deniq; tempus adjunctum, *Ad exiguum tempus.*

Status proprius est martyrum, & cõsistit in resurrectione & regno ipsorum: qvæ describuntur alternatim, hoc modo.

Resurrectio martyrum describitur

1. ab adjuncto occupato *Deinde vidi.*

2. à causa impellente procreante, judicio videl. cœlitum, qvod illustratur adjuncto & effecto metaphorico,

ibi:

ibi: *Thronos, & conſederunt ſuper eos, & judicium datum eſt eis.*

3. à ſubjecto recipiente, qvod deſcribitur ab adjunctis paſſionibus, itemq; ab effectis ſuis, ibi, *Et animas eorum qvi ſecuri percuſſi fuerant propter*, &c. Paſſionum cauſa procreans ſimul indicatur: videl. confeſſio Chriſti, & recuſatio idololatriæ.

4. à forma reſurrectionis, *Et revixerunt.* Regnum martyrum deſcribitur ab effecto, connexo, & adjuncto tempore, *Et regnarunt cum Chriſto per mille iſtos annos.*

Reſurrectio martyrum iterum deſcribitur 1. à diſſimili, *Reliqvi verò mortuorum* non *revixerunt, donec &c.*

2. ab epitheto, *Hæc eſt reſurrectio prima.*

3. à qvatuor adjunctis, è qvibus primum, ſecundum & qvartum ſunt ſingularia, tertium eſt commune.

Deſcribuntur enim martyres à beatitudine ſingulari ibi, *Beatus:* à ſanctitate ſingulari, *Sanctus.*

à ſecuritate ſanctâ, *In hos enim mors*

secunda, &c. & à dignitate sacerdotali speciali, *Sed erunt Sacerdotes*, &c.

Regnum iterum describitur, *Et regnabunt cum eo mille annos.*

De *quarta parte.* Status ille felix Ecclesiæ turbabitur per ultimam impiorum persecutionem, sive per bellum Gogicum & Magogicum, cujus describitur causa & eventus.

Causa est tum efficiens, tum forma.

Efficiens est princeps, seductio diaboli; & instrumentalis, gentes impiæ.

Seductio diaboli describitur

1. à tempore, *Cum verò consummati fuerint mille illi anni.*

2. à causa permittente, *Solvetur Satanas è carcere suo.* Solvetur nempe ab angelo, permittente & jubente DEO.

3. à modo & fine, *Et exibit ut seducat, & congreget eos in prælium.*

Gentes impiæ describuntur

1. à subjecto loco, *Gentes quæ erunt in quatuor angulis terræ.*

2. Collatione similium, *Gog & Magog.*

3. ab

3. ab adjuncto, *Vt congreget eos in prælium.*

4. ab adjuncta multitudine, quæ significatur & illustratur simili. *Qvorum numerus erit sicut arena maris.*

5. ab effecto gemino, *Et ascenderunt super latitudinem terræ, & obsidione cinxerunt,* &c.

Eventus belli Gogico-Magogici est respectu

1. Gentium: *Sed descendit ignis è cœlo,* &c.

2. Diaboli: cujus describitur actio, *Et diabolus qui seducebat eos*: & passio, *Conjectus est in illud stagnum.* & Pœna ista describitur à connexis, *Vbi erat bestia,* &c. & adjuncta duratione, *Et cruciabuntur die ac nocte,* &c.

De qvinta parte. Judicium ultimum describitur

1. à causa efficiente, quæ est judex; qvi describitur partim è subjecto loco, videl. nube, *Tum vidi thronum,* &c. partim ex adjuncto, videl. majestate, *Qvẽdam ei insidentem, à cujus conspectu,* &c.

2. ab objecto, quod sunt rei seu judicandi. Hi describuntur à statu tum præterito, ibi, *Mortuos parvos & magnos*: tum præsenti, *Satanas in conspectu* Dei, tũ futuro, *Iudicatique sunt*. item à distributione trimembri è subjectis locis, Et *mare reddidit mortuos*, &c.

3. à norma judicij, ut sunt opera, ibi, *Secundùm opera ipsorum*. Hæc norma declaratur ab infallibilitate, quę significatur per libros, id est, conscientias hominum, ibi, *Et libri aperti sunt*; & per librum vitæ, ibi, *Et liber alius apertus est*, &c.

4. ab executione lententiæ; cujus una duntaxat pars hîc commemoratur, videl. conjectio impiorum in stagnum ignis *vers.* 14. altera narratur capite sequenti. Describitur autem ista conjectio partim ab antecedente, *Mors autem & sepulchrum*: partim à forma, *Conjecti sunt in stagnum illud ignis: quæ est mors secunda*: patim deniq; à causa impellente, *Nempe si quis non inventus est in libro vitæ*, &c.

Si

Si malis, partire hoc caput in *qvatuor particulares visiones*: ex quibus *prima* est de angelo, v. 1. 2. 3. *secunda*, de statu Ecclesiæ in his terris, tum felicissimo v. 3. 4 5 6. tum perturbatissimo, v. 7. 8. 9. 10. *tertia*, de throno judicis Christi, v. 11. *qvarta*, de judicio universalis & ipsius processu, v. 12. 13. 14. 15.

IV.

PARAPHRASIS.

PAtefacta mihi militantis ecclesiæ conditione inde ab anno Christi 94. unà cum tentationibus, quibus præcipuè agitata est, & laboribus, quibus afflicta est, & vindiciis, quibus liberata est; & victoria, qua nobilitata est: nominatim verò & proximè indicata ruina Babylonis, 1. *Vidi* in ecstasi mea *angelum* bonum administrum judiciorum Dei, quales etiam vidi in superioribus meis visionibus: Hunc, inquam, vidi *descendentem è cælo* beatorũ, *qui habebat* sibi divinitus concreditam

clavem abyssi infernalis, ut illam ex nutu DEI clauderet & aperiret; item *catenã magnã in manu sua*, qva cõstringeret hostem aliqvem potentem, 2. Is *apprehendit draconem* infernalem *serpentem illum antiqvum*, qvi inde à principio venenum suum evomit in homines, & sinuosis suis sophismatis illos decipit, *quiqve est diabolus*, calumnians Deum apud homines, & vicissim homines apud Deum; qvi deniqve est *Satanas*, adversarius Dei, hominum & totius naturæ atqve ecclesiæ; Hunc veteratorem in sophisticatione & tyrannide sua deprehensum & apprehensum catena sua *vinxit* bonus iste angelus, & qvidem *ad mille annos* solares, & usitatos in vita communi. 3. Neqve satis habuit ipsum vincire, sed insuper *eum* vinctum *conjecit* ac præcipitavit in *abyssum*, & præcipitatum ibi *occlusit*; & eo incluso *obsignavit* operculum abyssi, *ne*, qva erumpens, *seduceret*, partim ad idololatriam, partim ad persecutionem Ecclesiæ; *amplius*, ut antehac fecit.

cit. *gentes*, qua Judæos, qua gentiles: *donec consummati eſſent mille iſti anni.* Nam *poſtea oportet eum*, DEO ſic volente, *Solvi* ex carcere ſuo; *ad exiguum tempus*, qvod Deus definivit, qvodqve non erit mille annorum, ut fuit tempus ligationis ejus.

4. Hanc draconis tragœdiam excepit læta cataſtrophe. *Vidi* enim *thronos* ritè diſpoſitos; & Chriſtus cum ſanctis angelis *conſedit ſuper eos.* His enim *data fuit poteſtas judicandi*, partim ferendo & exeqvendo, partim approbando ſententiam. Vidi qvoqve *animas eorum, qvi ſecuri percuſſi erant*, & innumeris ſuppliciorum generibus affecti, non utiqve propter ſua flagitia, ſed *propter teſtimonium*, qvod perhibuerãt *Ieſu* Chriſto, filio DEI & uni advocato Eccleſiæ: *& propter ſermonem Dei*, qvem intrepidè aſſeruerant à corruptelis hominum: *qviq; non adoraverant beſtiam* illam ſecundam, qvam ſupra videre memini; *neqve imaginem illius* beſtiæ, qvæ ipſi eſt gemina, qvantum ad doctrinam & vitam:

vitam: *nec acceperant characterem ejus in fronte sua*, publicè præ se ferendo & verbis testando, se pertinere ad bestiæ illius familiam: deniq; hunc ipsum characterem etiam *in manu sua* non acceperant, vita, moribus, & factis eum exprimendo. Hi tales *vixerunt*, excitatis ipsorum corporibus, & vitæ restitutis. Neq; tantúm revixerunt, sed etiam *regnarunt* in ecclesia, à persecutionibus libera, *cum Christo*, rege illo regum, *per mille istos annos*. §. *Reliqvi verò mortuorum, piorum*, qvi ante hos mille annos non acceperunt coronam istam martyrii, tum impiorum, *non revixerunt, donec cõsummati essent mille anni*. Atqve *hæc est resurrectio illa prima*, solis iis debita tanqvã prærogativa, qvi præ reliqvis glorificarunt Christum Dominum in corporibus suis, neqvicqvam exterriti minis, diris, & cruciatibus hominum. 6. Meritò itaq; martyres isti, *qui habent partem in prima ista resurrectione*, cẽsentur *beati* præ reliqvis, itemqve peculiariter à Deo *segregati* ad hoc tale præmiũ capien-

capiendum. Nam *mors ſecunda in ipſos non habebit poteſtatem.* Etſi enim denuo vivunt vitam in his terris: nullo tamẽ peccato ſe amplius obſtringent; unde ipſis metuendum ſit mortis æternæ periculum. *Erunt* nempe in his terris *ſacerdotes Dei & Chriſti,* non verò hujus mundi: *& regnabunt* cum Chriſto, non ut reges gentium, ſed in majeſtate Spiritus, *per hos mille annos.* 7. Ubi autem *expleti fuerunt mille iſti anni,* felicitas Eccleſiæ in his terris ſubito deſinet, Nam *Satanas* in momento *ſolvetur in carcere ſuo,* in quo per mille iſtos annos fideliter fuit cuſtoditus. 8. Ira verò ſolvens, non qviеſcet, ſed redibit ad ingenium, ac proinde *exibit, ut* liberius *ſeducat gentes,* quæ ſunt *in quatuor angulis terræ,* verſus orientem & occidentem, ſeptentrionem & meridiem. Non ſolúm autem ſparſis hæreſibus, omne genus, mundum excœcatum perducet ad apoſtaſiam: ſed etiam ingentis aduerſus Eccleſiam perſecutionis ducem & anteſignanum ſe præbebit, contra illam

excitatis *Gogo & Magogo*, hostibus Dei & Ecclesiæ juratis, quales olim erant populi, his nominibus, infesti Judææ. Hos excitatos *congregabit in prælium* longè atrocius & funestius, qvàm fuit inde ab origine mundi. Nam in hoc prelium descendent homines immanitate barbari & barbarie immanes, *quorũ numerus erit sicut arena maris*. 9. Hæ igitur ingentes copiæ auspice Satana, *ascendẽt* in terram, *eiusque latitudinem* multitudine sua tegent. Nec mora, *obsidione cingent castra sanctorum*, ubi ubi illa fuerint, *& urbem* Dei *dilectam*, Ecclesiam, omni arte parabunt delere. Verum enimvero in mediis hisce furoribus, plusquã Cyclopicis & giganteis, subito *descendet ignis è cœlo*, DEO fulgurante coruscationeam, & sagittas suas ejaculante. Hic ignis *devorabit eos*, hostes innumerabiles, instar stipulæ. 10. Sed nec dux ipsarum, *diabolus*, *qui* duxit & *seduxit eos*, impunè feret, quod ecclesiam Dei per gentes seductas oppugnavit. Nam *conjicitur in stagnum illud ignis & sulphuris*,

in

in ipsum nempe infernum: ubi socii ejus, *bestia* prima *& pseudopropheta* qui est magnus Antichristus, paulo ante initium mille annorum eò deturbati, pœnas luunt. Ibi *cruciabuntur die ac nocte*, sine intermissione; *in secula seculorum*, in omne ævum, ita ut nunqvam in posterum evadant. 11. *Vidi qvoqve nubem* insignem *instar throni magni & albi*, & *Christum*, Filium DEI, judicem vivorum & mortuorum, *illi* magnâ cum majestate *insidentem*, adeoqve ad judicium paratum. *abi lius conspectu terra & cœlum fugit, locusqve non est inventus eis.* Nam hæc terra & hoc cœlum præteribunt ad hunc Christi adventum, & omnia renovabuntur. 12. *Vidi etiam* omnes *mortuos, parvos & magnos, stantes in conspectu* Dei, & paratos ad audiendam judicis sententiam. Qvid fit? *Libri* conscientiarum *aperiuntur*, omnium mortalium consiliis, & cordium secretis in lucē protractis. Ne verò electi Dei filii inspectione suorum qvisqve librorum exanimentur, ecce *aperitur* iis

alius

alius liber: liber inqvam *vitæ*, in qvo juxta Dei εὐδοκίαν paternam in Christo scripta sunt eorum nomina ab æterno. Apertis ita his libris, *judicantur mortui ex iis quæ erant scripta in libris, secundùm opera ipsorum:* ita qvidem, ut opera sanctorum judicentur ex libro vitæ includente libros conscientiarum ipsorum, lotarum sangvine Christi; opera verò impiorum recenseantur & judicentur in libris conscientiarum ipsorum, peccatis pollutarum, neq; sanguine Christi ablutarum. 13. Ita ergo *reddidit mare mortuos*, qvos sinu suo fovebat. *Mors qvoqve & infernus*, ignis nempe, aër, & terra, adeoq; omnia elementa, *reddiderunt mortuos*, qvos partim antehac consumserant & acceperant, partim adhuc fovebant. *Iudicati* ergo sunt omnes *& singuli*, nullo prorsus excepto; & judicati sunt justé, quippe *secundùm opera* qvisq; *sua*, qvorum fuerunt probè conscii. 14. His ita peractis, homines impii, mors & infernus, hoc est, morte & inferno digni, *conjecti sunt in*

illud

illud ſtagnum ignis, ut in illo perpetuũ ſorbeant aquas igneas, & ibi experiãtur, quid ſit *mors ſecunda*; hoc eſt, ſecundum moriendo nunqvam moriãtur. 16. Cujuſcunq; nempe nomen *non fuit inventum in libro vitæ ſcriptum, is in ſtagnum illud ignis conjectus eſt*, idq; juſto Dei judicio & magno ſuo merito.

V.

QVAESTIONES.

PRæcipuę hujus capitis quæſtiones ſunt: *An mille iſti anni, quorum ibi aliqvoties fit mentio ſecundum literam ſemper ſint intelligendi: Vtrum jam ſint elapſi: in qvo anno initium iſtorum mille annorum ſit ponendum: qvid intelligendum ſit per reſurrectionem primam: qvinam ſit intelligendi per Gog & Magog: denicq; an martyres cum Chriſto ſint regnaturi; in his terris?* Qvas qvidem qvæſtiones omnes revocabo ad hanc unam: *An ſit futura aliqva felicitas Eccleſiæ in his terris ante ultimum diẽ: & qualis illa ſit futura?* Hanc qvæſtionem

nē paulo prolixiús tractabo ἀναστευαστικῶς & καταστηλαστικῶς. Primò itaqve veram sententiam certis argumentorum classibus confirmabo: deinde objectiones partis adversariæ refutabo.

I.

Confirmatio veræ sententiæ.

TRes erunt classes argumentorum pro vera sententia; qvam hac thesi complectimur: *Ecclesiæ status felix in hac vita constabit ex resurrectione martyrum, & ipsorum regno in his terris; ex liberatione Ecclesiæ à persecutione hostiū Evangelii per illorum deletionem; ex pace diuturna inde oritura; ex incremento Ecclesiæ seu multitudine credentium per conversionem Iudæorum & gentium nondum conversarum, ex reformatione doctrinæ (seu majori luce) & vitæ, secundum omnes status hominum, ex majestate item, seu gloria magna Ecclesiæ, denique & gaudio illius sincero. Incipiet autem ista felicitas illo ipso anno, qvo futurum*

ejus

est vt destruatur regnum magni Antichristi: & durabit per mille annos.

Hanc sententiam veram esse probabimus primò ex contextu nostri capitis: deinde ex aliis Scripturæ dictis: deniq; argumentis ex ratione & consensu piorum & doctorum qvorundam virorum desumtis.

Prima classis argumentorum.

Ex hujus capitis contextu deducimus ista argumenta.

Primum argumentum sumitur à connexione hujus visionis cum præcedente, quæ describitur *cap.* 19. *v.* 19. 20. 21. Nam Johannes dicit versu primo hujus capitis: *Et vidi*, hoc est, Deinde, postqvam videl. vidi bestiam & pseudoprophetam conjectos in stagnum ignis. Ne qvis verò existimet, conjectionem istam futuram in fine seculi, Johannes statim subjungit: *& reliqui occisi sunt gladio ejus, &c. & omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.*

Ex

Ex qvibus verbis manifestum est, sermonem hîc esse de strage Antichristi & assectarum ejus: quæ non incidet in ultimum & universale judicium, sed erit judicium aliqvod particulare. Qvod ita demonstratur. Adventus Christi ad ultimum judicium futurus demum est post bellum Gogicum, qvod est diversum ab eo, qvod describitur *cap.* 19. *v.* 19. Nam bellum Gogicum inferetur sanctis pace diuturna jam fruentibus. At bellum Antichristianum inferetur sanctis ferè jam in nihilum redactis per magnam aliqvam persecutionem. Deinde *capite hoc* 20. *v.* 10. dicitur, qvòd diabolus post bellum Gogicum conjectus sit in stagnum ignis & sulphuris, ubi ERAT bestia & pseudopropheta. Qvibus verbis manifestè respicitur ad illa verba *cap.* 19. *v.* 20. *Vivi conjecti sunt hi duo* (bestia & pseudopropheta) *in stagnum ignis ardens sulphure.*

Secundum argumentum est à connexione hujus visionis cum sequente, qvæ describi-

tur

tur *cap.* 21. Nam Johannes dicit *versu primo capitis* 21. *Deinde vidi cœlum nouum, & terram novam*: elapsis videl. annis mille, & confecto bello Gogico, & peracto vltimo judicio, de quibus *cap.* 20. q. d. Hactenus vidi & enarravi statum Ecclesiæ militantis, & in vltimo judicio triumphare incipientis: jam sequitur visio & enarratio status Ecclesiæ totius triumphare pergentis in vita æterna.

Tertium argumentum est à repetitione istius sententiæ, χίλια ἔτη, & quidem adjecto articulo, τὰ χίλια ἔτη. Prior sententia semel ponitur, posterior qvater: indeà v. 2. ad 8. Qvæ repetitio arguit, verba hæc κατὰ τὸ ῥητόν, seu historicé esse intelligenda: nisi velimus dicere, Johannem esse bartologum.

Qvartum argumentum est à collatione huius visionis cum historiâ & praxi. Neqve enim ex vlla historia probari potest, impleta esse ista de qvibus agitur in hac prophetia. Nam primò diabolus nunqvam fuit vinctus ad mille annos,

ita

ita ut conjectus fuerit in abyssum, & ibi inclusus,& simul obsignatus,ne seduceret amplius gentes,donec impleti fuerint mille anni: qvibus elapsis fuerit solutus ad exiguum tempus. Proferatur quæso vllum N. T. seculũ, in qvo possit figi epocha horum annorum. *Deinde* resurrectio martyrum probatur ex antithesi *v.* 4.& 5. ubi dicitur diserte, Reliquos mortuorum non revixisse donec explerentur mille isti anni. Itaqve qvando martyres dicunt vixisse,intelligendi sunt revixisse. Monstretur autem,quando hujusmodi reviviscentia facta sit. Ad *extremum*, bellum Gogico-Magogicum nondũ est gestum,ut volunt pleriqve. Nam postqvam expleti fuerint mille anni, qvo toto tempore nullæ gentes fuerunt à Satana seducti; tum, inqvam, incipiet nova seductio per totum terrarum orbem, & ex quatuor cardinibus mundi colligetur exercitus innumerabilis, qvi negotium faceſſet sanctis,& consumetur igne divinitus immisso.

missō. Cum itaqve tria ista, qvæ commemoravi, nondum sint impleta, certum est adhuc esse implenda.

Qvintum argumentum est ab absurdo. Nisi enim insistamus literæ, eamqve applicemus futuræ adhuc felicitati, in his terris admodum jejuna, insipida, violenta, & contorta erit totius hujus vaticinii explicatio & applicatio. Assumamus unam ex multis. Dicunt nonnulli, millenarium istum Apocalypticum cœpisse in eversione templi & cultus Judaici; qvoniam tunc Judæis, qvi hactenus gentes turbare, & ab Evangelio alienare non cessaverant, dissipatis atqve rejectis, gentes eorum loco in Ecclesiam Christi gregatim adscitæ fuerunt, tuncqve Satanam ligatum, à seductione gentium cessare apparuit. Videamus qvam lepida sit hæc expositio. Hierosolyma per Titium eversa sunt anno Christi 69. Itaq; hic figamus epocham 1000. istorum annorū, ita ut illi desinant anno Christi 1069. Conferatur jam cum

toto

toto hoc temporis curriculo conver-ſio Gentium, colluvies hæreſium, de-fectio & ſeductio Mahomedis, myſte-rium iniquitatis, perſecutio denique piorum; & oſtendatur, quomodo Sa-tan adeo potenter regnans ſit vinctus ad mille annos & gentes non ſeduxe-rit, Oſtendatur etiam, quomodo nul-lus martyr cum Chriſto regnaverit ab an. Domini 69. uſq; ad 1069. Nullus certè adhuc regnauit cum Chriſto: quia nullus adhuc è mortuis reſurre-xit. Regnum autem martyrum cum Chriſto, reſurrectionem ipſorum ſe-qvetur. Deinde ſi anni 1000. finiti ſunt anno Chriſti 1069. ſeqvitur annos 556. qvi ex illo tempore uſq; ad hunc annum præſentem 1626. effluxerunt, eſſe tempus exiguum reſpectu mille annorum: quia dicitur, poſt elapſos illos mille annos diabolum ſolutum iri ad exiguum tempus, ut iterum ſe-ducat gentes *v* 3. 7. 8. At anni 556. poſſunt dici tẽpus exiguum reſpectu mille annorum cùm contineant plus quàm

qvàm dimidium. Nec valet hic effugium, quòd mille anni DEo ſint unus dies, 2. *Petri* 3. 8. Nam ibi ſermo eſt de æſtimatione DEI; qui ſicut mille annos æſtimat pro uno die, ita viciſſim unum diem æſtimat pro mille annis, ut patet ex loco citato. At hic ſermo eſt de æſtimatione hominum; qvi non æqvè æſtimant tempus longum & breve.

Sextum argumentum eſt ab implicito, ut loqvuntur. Scribit Johannes, ſpatio mille iſtorum annorum gentes non iri ſeductum *verſ.* 3. ubi non ſolùm ethnici, ſed etiam Judæi intelligendi ſunt. Nam Sataras ita ligatur & relegatur in infernum, ut neminem planè poſſit ſeducere. Ergo nec Judæos. Jam verò nemini non conſtat, Judæos inde à paſſione Chriſti uſq; ad hanc ætatem miſerè ſeduci. Itaq; mille iſti anni adhuc ſunt futuri. Deinde admodum veriſimile eſt, perſecutionem eccleſiæ inter alia impedire, qvo minus judæi ad eccleſiam ſe aggregent.

Itaq; si judæi videant mirabilem deletionem Antichristi, pro culdubio hæc res occasionem isti cõversioni præbebit. Qvare deletio Antichristi immediatè antecedet non ultimum judicium, sed felicitatem ecclesiæ futuram in hac vita.

Secunda classis argumentorum.

Ex variis Scripturæ dictis deducimus varia argumenta, qvæ omnia nitentur hoc syllogismo: Qvæ divinitus prædicta sunt in V. & N T. & nondum sunt impleta, illa certò adhuc implebuntur. Atqvi magna Ecclesiæ felicitas in his terris est prædicta divinitus in V. & N. T. sed nondum impleta. E. certò adhuc implebitur.

Assumtionem demonstramus ex variis Scripturæ locis, in quibus partes futuræ felicitatis, quas paulo ante indicavimus, vel singulæ, vel plures simul occurrunt.

Primus locus est Genes. 17. v. 4. 5. 6.

Ubi

Ubi Deus Abrahamum sic alloquitur: *Ego ecce fœdus meum tecum* pango: *& eris pater multitudinis gentium. Neqve vocabitur nomen tuum vltra Abram, sed erit nomen tuum Abraham: quia patrem multitudinis gentium constitui te. Et multiplicabo te vehementissimè, & constituam te in gentes, & reges ex te egredientur.* His verbis promittitur Abrahamo, ipsum fore patrem nõ solùm Judæorum, sed etiam Gentium. Constat enim populos diversos originem suam duxisse ab Abrahamo. Nam præterqvam qvòd Isaac ex ipso est prognatus, Ismael in magnum populum excrevit, & Idumæi ex eodem longé lateqve diffusi sunt. Ex aliis etiam filiis, qvos ex Keturâ suscepit, fluxerunt amplæ familiæ. Qvid? Moses hîc longiùs respexit, qvòd scilicet gentes fide inserendæ essent in genus Abrahæ, licèt ab eo non progenitæ secundum carnem, ut testis est Apostolus *Rom.* 4. *v.* 11. Hinc ita ratiocinor: Omnis generis Judæi & Gentes erunt

filii Abrahami in Christo. Sed hoc nondum est impletum: qvia decem tribus à Salmanasare abductæ nihil audiverunt de Christo, & duæ tribus, Juda & Benjamin, hactenus errant in viis suis, ut & Indi, & iis similes. Oportet itaqve ut illi tandem aliqvando adducantur ad fœdus cum Abrahamo initum.

Secundus locus est Genes. 18. v. 18. *Cùm Abraham omnino futurus sit in gentem magnam & fortem; benedicendæqve sint in eo omnes gentes terræ.* Confer cum *Genes. 26. v.* 4. Hinc ita ratiocinor. In semine Abrahami qvi est Christus, benedicentur omnes gentes terræ. Atqvi hoc nondum est factum: ut patet ex loci præcedētis illustratione. Oportet itaqve ut hoc adhuc fiat. Confer *Genes.* 21. *v.* 13. ubi Deus promittit Abrahamo, se filium ancillæ (Hagar) in gentem positurum, id est, effecturum, ut ex eo nascantur populi multi: qvia semen ipsius sit. q. d. Hoc quoq; semen Abrahami non excidet memoriâ mea, sed

ſed ſuo tempore intelliget, me eſſe Deum Abrahami.

Tertius locus eſt Gen. 27. v. 40. *Cum autem* (tu Eſau) *incipies dominari, franges jugũ ejus* (Jacobi) *à collo tuo.* Hoc tũ fiet, qvando poſteri Eſavi coaleſcent cum Iſraëlitis in unum corpus. Qvod qvidem nondum eſt factum.

Quartus locus eſt Gen. 48. v. 19. *Veruntamen frater eius* (Manaſſe) *minor* (Ephraim) *creſcet magis quàm ipſe: & ſemen ejus erit plenitudo gentium.* Hæc verba lucem accipiunt ex *Rom.* 11. ubi eadem Phraſis occurrit. Senſus itaqve hic eſt. Ex Ephraimo non equidem numeroſa proles ſecũlum carnem orietur (quia tribus Juda hoc nomine ſuperavit tribum Benjamin) ſed illius hæc erit prærogativa, ut ſemen ipſius ſit plenitudo gentium, id eſt, finem imponat converſioni gentium; & proinde unà cum reliqvis Judæis convertatur ad Chriſtum.

Quintus locus eſt Gen. 49. v. 10. Hic de Siloh, id eſt, Meſſia dicitur: *Et erit*

aggregatio, seu obedientia, populorum. Id est, Judæorum & Gentium, adeoqve & Turcarum, Indorum, decem tribuum, &c.

Sextus locus est Genes. 49. v. 18. Hîc de tribu Dan ita suspirat Jacob: *Salutem tuam expectavi ô Jehova!* q.d. Tandem tamen salvabor, ô Jehova, utut tis me dispersurus unà cum reliqvis novem tribubus Israëlis. Durum profectò est, decem istas tribus in solidum excludere communione cum Christo.

Septimus locus est Genes. 49. v. 26. Hîc Jacob Josephum ita alloquitur: *Benedictiones patris tui, validæ sunt cum benedictionibus progenitorum meorum, usq; ad finem collium seculi;* id est, non sunt temporales tantùm, sed æternæ. Conjungit enim spirituales promissiones cum terrenis, quia hæ illarum erant figuræ. Itaqve postrema ista verba sunt periphrasis perpetuitatis. Cedo jam, ubinam terrarum, posteri Josephi facti sint participes Christi? Necesse itaqve est, ut hæc promissio adhuc impleatur.

Octa-

Octavus locus est Num. 24. v. 17. ubi Bileam ita vaticinatur de Christo: *Video illum, sed non modò intueor illum, sed non prope: procedet stella ex Iacob, & surget sceptrum ex Israel; & confodiet angulos Moab, & destruet omnes filios Seth.* Hic per filios Seth intelligũtur omnes filii mundi: quia à Seth (qui in locum interemti Abel successit) omnes propagati sumus: proles namqve Cain diluvio extincta est. Noë à Seth originem ducebat: à Noë omne genus hominum reparatum est. Qvare filii Seth sunt ficut filii Adam, id est, omne genus hominum. Sensus hic est: Christus, qvi tanqvam stella procedet ex Jacob, & cujus sceptrum surget ex Israële, in nihilum rediget Moabitas (hostes Israelitarum) & destruet omnes filios Seth, id est, omnes homines, spiritu suo ipsos sibi subjiciendo. Qvod qvidem hactenus nondum est factum, teste experientia. Cæterum verto *filios Seth* cum LXX. Interpretibus & Vatablo: qvia sic exigit antithesis inter

Moab & Seth. Taceo qvòd versio illa est coacta: *Destruet omnes qui ponè sunt.* In verbo *Destruet* est eximia emphasis. Nam vox Hebræa sonat idem, qvod *exparietare*. q.d. parietes ipsorum confringet, id est, qvidqvid habent omnes homines propriæ sanctitatis & dignitatis, hæc stella obfuscabit, & omnem protentiam, quæ se adversus Deum effert, comminuet.

Nonus locus est Deut. 30. v. 3. 4. *Tum reducet Iehova Deus tuus captivitatẽ tuam, & miserebitur tui, & conversus congregabit te de cunctis populis, ad qvos dispersérit te Iehova Deus tuus. Si fuerit expulsus tuus in extremo cœli, illinc congregabit te Iehova Deus tuus, & illinc accipiet te.* Hoc sanè non est factum plenè in reductione ex captivitate Babylonica. Neqve enim tum reductæ fuerunt decem tribus. Vide etiam *vers.* 6. & 8. Qvod enim ibi dicitur de cordis circumcisione, id pertinet ad fidem Christi: absqve qva nemini cor mundatur.

Decimus locus est Deut. 32. usqve ad

vers.

verſ. 44. Hic *à v.* 1. *uſqve ad* 40. varia occurrunt de converſione Judæorum: ut eruditè illa explicat Heurnius de legatione Evangelica ad Indos fol. 144. Deinde *à v.* 40, *uſqve ad* 44. occurrit prophetia de vocatione Gentium. Nã Apoſtolus *Rom.* 15. 10. primum membrum *v.* 43. allegat hanc in ſententiã. Prophetatur autem hic de clade hoſtium Eccleſiæ & effuſione ſanguinis eorum in prælio. Qvæ clades nondum contigit: ut patet ex hoc ſyllogiſmo. Si clades, qvæ hic à Moſe prophetatur, congruit cum illa, qvæ prophetatur *Apoc.* 19. *v.* 20. 21. nondum contigit, ſed adhuc futura eſt. Atqvi verum antecedens. E. & conſeqvens. Aſſumtio probatur ex collatione duorum iſtorum locorum. Hic non ab re fuerit, breviter tenere memoriâ, qvot clades hoſtium eccleſię poſt captivitatem Babylonicam occurrant apud Prophetas. Sunt autem numero tres. *Prima* eſt clades hoſtium Eccleſiæ Judæorum tempore Maccabæorum. *Dan.* 11. *v.*

34.35. *Secunda* est clades hostium ecclesiæ Gentium, *Dan.* 11. *v.* 34.35. *Apoc.* 19. *v.* 20. 21. *Tertia* est clades hostiū ecclesiæ Gentium & Judæorum paulo ante finem seculi, *Apoc.* 20. *v.* 9.

Vndecimus locus est Nehem. 1. v. 8. 9. Hic repetitur promissio Dei *Deut.* 30. v. 3. 4. paulo ante explicata: & applicatur reductioni duarum tribuum ex captivitate Babylonica, qvæ typus fuit liberationis omnium tribuum adhuc futuræ. Etenim Deus promisit duodecim tribubus, se illas recollecturum ex dispersione in varios populos, etiamsi expulsio ipsarum fuerit ad extremum cœli, hoc est, in regionem remotissimam. Quod qvidem ad solam captivitatem Babylonicam referri non potest. Neq; enim tum omnes tribus sunt reductæ; neq; ex remotissimis terris facta est reductio.

Duodecimus locus est Psal. 22. v. 28. *Reminiscentur & convertentur ad Iehovam omnes fines terræ; & inclinabunt se coram te universæ familiæ gentium.* Confer Psal. 86.

v. 9.

v. 9. *Omnes gentes, quas feciſti, venient, & genuflectent coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Sic Pſal. 118. v. 1. *Laudate Iehovam omnes gentes. laudate eum omnes populi.* Eamus per hiſtoriarum monumenta, & diſpiciamus an hoc ſit factum. Deprehendemus certè in terris novis ſuperiori ſeculo, & hac noſtra ætate detectis, illam converſionẽ jã eſſe in fieri, ut loqvuntur: & in multis orientis partibus neq; eſſe in facto, neqve in fieri, ut ſcholæ dicunt.

Decimus tertius locus eſt Pſal. 97. per totum, ut loqvuntur. Hoc Pſalmo cõtinetur prophetia de regno Chriſti in eccleſia N. T. ut percipitur ex *verſ.* 7. quippe cujus membrum extremũ apoſtolus *Heb.* 1. *v.* 7. de Chriſto allegat. Deinde jubentur lætari multæ Inſulæ. Quod nõ poteſt accõmodari ad eccleſiã V. T. Unde percipitur vocabulo Sionis *verſ.* 8. ſignificari eccleſiam N. T. ut paſſim apud Eſaiam. Adhæc *ver.* 6. dicitur: *Vident omnes populi gloriam*

ejus. Deniq; judicia Dei in hostes,& lætitia ecclesiæ,quæ hic describuntur, nondum sunt impleta.

Decimus qvartus locus est Psal. 110. *Domine qui est ad dexteram tuam, fracturus est die iræ suæ reges. Iudicium exercebit in gentes, implebit* loca *cadaveribus*, *percutiet caput super terram multam.* Hæc nondum impleta esse patet consideranti historiam & experientiam. Singulare autem est in hoc vaticinio, qvod dicitur de *capite super terram multam.* Qvod proculdubio accipiendum est de magno Antichristo, qvem terræ multæ pro capite ecclesiæ agnoscunt.

Decimus quintus locus est Esa. 2. v. 1. 2. 3. 4. Hic agitur de *extremis temporibus*; & qvatuor prophetantur, quæ tum contingent: 1. *Mons Dei constituetur in vertice montium.* 2. *Confluent ad eum omnes gentes.* 3. *Ex Sione exibit lex.* 4. *Contundent gladios suos in ligones &c. nō attollet gens contra gentem gladium.* &c. Ex his primum & tertium sunt impleta: secundum magis ac magis impletur: qvartum non-

nondum est impletum: ut hactenus docuit & adhuc docet experientia.

Decimus sextus locus est Esa. 11. v. 10. 11. 12. Duo hic prophetantur. 1. conversio gentium paulo post primum Christi adventum per prædicationem Evangelii *vers.* 10. *Nam fiet tempore illo* (adventus Christi, de qvo præcessit prophetia inde ab initio capitis huc usq;) *ut eam* (radicem Isai) *consulant gentes.* 2. conversio Judæorum & Gentium simul. *vers.* 11. 12. Vide Heurnium super hunc locum, fol. 175. Confer hãc prophetiam cum *versu* 16. hujus capitis, & cum seqventi *capite* 12.

Decimus septimus locus est Esa. 24. v. 23. ubi prædicitur Jehovam *regnaturum glorioſe* in monte Sionis, & in urbe Ierusalem: & qvidem ita, ut luna & sol ad hanc gloriam regni Dei in ecclesia pudore suffundantur. Tanta nempe regni hujus erit gloria, tantus splendor. Hæc autem tanta gloria nondum est conspecta in ecclesia V. vel N. T. Conspicietur ergo suo tempore.

Decimus octavus locus est Esa. 25. v. 1. usqve ad 13. Hic continetur prophetia de ecclesia N. T. ut patet ex collatione *versus* 8. cum *Apoc.* 7. *v. ult. & c.* 21. *v.* 4. item ex collatione *versus* 2. *&* 12. cum *Apoc.* 16. *v.* 19. *& c* 18. *v.* 1. 10. 18. Cæterum hic prophetatur de liberatione ecclesiæ à persecutione hostium, *v.* 3. 4. 5. & hostium deletione *v.* 10. 11. nominatim de excidio vrbis Romæ, *v.* 2. 12. deniqve de gaudio ecclesię à persecutoribus liberandæ *v.* 1. 6. 7. 8. 9. Memineris hic per Moabū, sive Moabitas significari hostes ecclesiæ N. T. & qvidem illos, qvi vinculo nominis Christiani veris Christianis conjuncti sunt, sicut Moabitæ vinculo sangvinis conjuncti erant Judæis, qvos tamen hostiliſſimo animo perseqvebantur.

Decimus nonus locus est Esa. 26. v. 1. 2. 3. 4. 5. ubi describitur pars cantici, qvo Judæi Deum celebraturi erāt propter liberationem è captivitate Babylonica: item qvo Christiani Deum celebraturi sunt propter liberationem à tyran-

tyrannide Antichristi: ut percipitur ex collatione cum *Apocal.* 14. *v.* 8. *&* *c.* 18. *v.* 2.

Vigesimus locus est Esa. 27. Quod qvidem caput agere de conversione Judæorum, certissimo argumento mihi est, qvod partem aliqvam *versus* 9. Apostolus allegat *Rom.* 11. *v.* 27. Inprimis etiam considerentur duo ultimi versus.

Vigesimus primus locus est Esa. 33. v. 20. 21. 22. 23. 24. ubi non potest intelligi Hierosolyma propriè dicta: utpote qvæ post hanc prophetiam eversa est à Romanis. Itaqve intelligenda est ecclesia N. T. qva passim in prophetiis Esaiæ mysticé & typicè, seu metaphoricè, appellatur Hierosolyma. Prophetantur autem de illa pax, defensio cõtra hostes, & victoria. Qvæ omnia necdum evenerunt: ac proinde certò futura sunt.

Vigesimus secundus locus est Esa. 34. à v. 1. ad 18. ubi contineri prophetiam de dele-

deletione hostium ecclesiæ N. T. percipi potest ex collatione *vers.* 4. cum *Apoc.* 6. *v.* 3. 4. & *v.* 10. cum *Apoc.* 19. *v.* 3. & *v.* 11. cum *Apoc.* 18. *v.* 2. Cæterum per Edomæos figurantur falsi fratres verorum Christianorũ: & per Botzram, metropolim Idumææ, figuratur Roma, metropolis Antichristi; cujus excidium admodum patheticè describitur *v.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 17.

Vigesimus tertius locus est Esai. 43. per totum. Ubi agitur de conversione Judæorum. Inprimis consideretur *v.* 5. & 6.

Vigesimus qvartus locus est Esa. 45. v. 22. 25. *Respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ, &c. In Iehova justificabunt se, & laudabunt sese omne semen Israel.* Hic agitur de universali vocatione Gentium. & Judæorum. Qvæ duo necdum sunt impleta.

Vigesimus qvintus locus est Esa. 49. v. 24. 25. 26. Qvæ verba cohærent cum præcedente prophetiâ de vocatione gentium, inde à *v.* 18. & proinde accipienda

pienda ſunt de Eccleſiâ N. T. qvæ cõqveritur de potentia perſecutorum *v.* 24. & à Chriſto erigitur promiſſione liberationis ejus *v.* 25. & comminatione excidii, perſecutorum *v.* 26. Confer *Apoc.* 16. *v.* 6.

Vigeſimus ſextus locus eſt Eſa. 54. v. 14. 15. 16. 17. Qvod vaticinium loqvi de eccleſia N. T. inde manifeſtum evadit; quia toto hoc capite continetur prophetia de beneficiis, quæ Deus collaturus erat in fideles N. T. Qvo facit, qvod Chriſtus *Ioh.* 6. *v.* 41. allegat partem primam *v.* 13. Cæterum in loco Prophetæ à nobis citato continetur prophetia de defenſiõe eccleſiæ Chriſtianæ contra hoſtes: quæ nondum eſt impleta.

Vigeſimus ſeptimus locus eſt Eſa. 59. v. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Quibus verbis contineri prophetiam de eccleſia N. T. percipitur ex collatione *v.* 16. cum *cap.* 63. *v.* 5. item ex collatione *v.* 20. cum *Rom.* 11. *v.* 26. Tria autem ſunt hujus prophetiæ membra: unum de ho-

hostium ecclesiæ deletione futura ante conversionem Judæorum *vers.* 16. 17. 18. 19. alterum de ecclesiæ majestate seu gloria ex deletione hostium oritura *v.* 19. tertium de conversione Judæorum *v.* 20. 21.

Vigesimus octavus locus est Esa. 60. Qvod totum caput agit de futura adhuc felicitate ecclesiæ N. T. ut patebit consideranti.

Vigesimus nonus locus est Esa. 63. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Hanc prophetiam loqvi deliberatione ecclesiæ N. T. à ministris & assectis Antichristi planum evadit ex collatione cum Apoc. 14. v. 19. 20. & *cap.* 19. v. 13. 15. Qvinam intelligendi sint per Edomæos, & Bozram, patet ex consideratione loci præced. 22.

Trigesimus locus est Jer. 16. v. 14. ad finem. Hoc vaticinio agitur de conversione Judæorum, *v.* 15. *Vivit Iehova, qui ascendere fecit filios Israel de terra Aquilonis, & de terris universis, in qvas expulerat eos* &c. Item de vocatione gentium, *v.* 19. *ad te gentes venient ab extremis terræ, &c.*

Trigesimus primus locus est Jerem. 23. v. 3. & seqq. ubi agitur de conversione Judæorum.

Trigesimus secundus locus est Jer. 30 v. 36. & seqq. *Ecce dies venientes, dixit Dominus, & convertam captivitatem populi mei Israel & Iuda*, &c. Et paulo post: *Et servient Domino suo Deo, & David regi suo*: seu, ut habet Chaldæus, *Christo filio David regi suo.* En iterum dulcissimam prophetiam de conversione Judæorum!

Trigesimus tertius locus est Jer. 31. v. 1. 3. ubi itidem prophetatur conversio Judæorum. Vide Heurnium libro aliquoties à nobis citato, fol. 157. & seqq. item f. 165.

Trigesimus quartus locus est Jer. 31. v. 31. 32. 33. 34. His verbis cõtineri prophetiam de ecclesia N. T. percipitur ex allegatione apud *Matth. c. 3. v.* 18. & *in epistola ad Hebr. cap.* 8. *v.* 8. Promittitur autem ibi conversio Judæorum, quatenus Deus populo Israelitico promittit, se pacturum cum eo fœdus no-

novum; cujus vi remissurus sit ei peccata, & legem suam inscripturus cordi eorum. Quæ Judæorum conversio nondum est facta: qvia inde ab incepta prædicatione Evangelii maxima Judæorum pars in incredulitate perseverat, Quare suo tempore futura est.

Trigesimus qvintus locus est Jer. 32. v. 37. 39. *Ecce congregans ego eos de universis terris, qvo propuli eos, in furore meo. Dabo eis cor unum, & viam unam, ad timendum me, omnibus diebus.* Hic iterum promittitur conversio Judęorum: qvæ utiqve pertinet ad felicem illum statum ecclesiæ N. T.

Trigesimus sextus locus est Ezech. 36. v. 26. & seqq. ubi propheta ait futurum, uti cœlitus cor novum illis (*Iudæis*) detur, rectioresqve sensus habitent in corde illorum. Quibus verbis sine dubio significatur conversio judæorum. Quæ cùm nondum sit facta, restat adhuc futura.

Trigesimus septimus locus est Dan. 11. v. 34.

34. 35. *Intelligentes autem ex populo instruēt multos: & ex illis corruent gladio, flamma, captivitate, & direptione, diebus multis. Cumqve corruent, juvabuntur auxilio parvo*, &c. Hæc prophetia secundùm literā accipienda est de afflictione & liberatione ecclesiæ tempore Antiochi & Maccabæorū: typicè & mysticè de afflictione & liberatione ecclesiæ tēpore Antichristi. Quæ qvidem liberatio est pars felicitatis ecclesiæ N. T. Cæterum qvòd Antiochus fuerit typus Antichristi patet ex collatione *Dan.* 11. *v.* 36. & 2. *Thess.* 2. *v.* 4.

Trigesimus octavus locus est Dan. 11. v. 44 45. *Tandem conturbabunt eum rumores ab Oriente & Septentrione. Egredietur itaqve cum excandescentia magna, ut multos perdat, & internecioni devoveat. Plantabit autem tentoria cleri sui inter maria ad montem sanctum & inclytum, sed venit ad finem suum, nec ei qvisqvam opitulabitur.* Hac prophetiâ explicantur tria ista: videl. protasis illorum tumultuum per qvos olim Judæa gravissimè est afflicta, &

Euro-

Europa hodie affligitur: tum epitasis illorum longè contentiosissima: denique catastrophe horum ipsorum tumultuum nobis utique exoptatissima. Quomodo singula sint impleta in Antiocho, tanquam typo Antichristi, ad institutum nostrum nihil attinet. Neque res hæc est obscura. Videamus itaque quomodo competant in Antichristum. Protasis est ibi: *Tandem rumores cõturbabunt eum ab Oriente & Septentrione.* Rumor Orientis percrebuit an. Christi 1453. quando capta est Constantinopolis: item anno 1481. quando Geduces Bassa irrupit in Italiam. Idem rumor renovatus est, quando Othmanidæ exciso jam Sultanorum imperio, vires suas denuo in Europęos converterant, expugnatisq; Belgrado & Rhodo, ecclesiæ Latinæ fines cœperunt invadere. Rumorem hunc Orientis excepit rumor Septentrionis, anno Christi 1517. & deinceps. Epitasis est ibi: *Egredietur itaque in magna cum excandescentia, ut multos perdat & interficiat*

necioni devoveat. Plantabit autem tentoria cleri ſui inter maria ad montem ſanctum & inclytum. In harum rerum praxi hodie plenis velis ventoqve ſecundo navigat Antichriſtus. Poſtquam enim conturbatus fuit rumore Septentrionali, magno animo aggreſſus eſt omnes illos, qvi rumorem iſtum Septentrionalem partim inceperunt, partim foverunt & etiamnum fovent. Neq; excidit ſuis auſis. Nam plurimos perdidit & internecioni devovet. Deinde tentoria cleri ſui plantavit inter maria ad montem ſanctum & inclytum, hoc eſt, religionem ſuam propagavit inter eos populos, qvi puram religionem diu fuerant profeſſi. Sed bene habet, qvod cataſtrophe non reſpondet epitaſi. Nam in media hac plãtatione aliqvid ſiniſtri accidet huic hortulano. Etenim *qvia venit ad finem ſuum, nemo ei opitulabitur.* Nimirum ſubito exorietur tempeſtas, quæ naufragium adferet huic nauclero. Vide plu-

ribus hiſtoriam Antichriſti Conradi Graſeri.

Tri-

Trigesimus nonus locus est Dan. 12. v. 1. *Tempore autem illo stabit Michael princeps ille maximus, qui stat pro popularibus tuis. Nam erit tempus angustiæ, qvale non fuit ex quo fuit gens, usque ad tempus istud; & tempore illo eripietur populus tuus, qvicunqve inventus fuerit scriptus in libro.* Hoc vaticinium interpretor de ultimâ persecutione, sive de bello Gogico, qvod immediatè antecedet ultimum judicium. Adducor autem duabus hisce rationibus. 1. qvia tempus angustiæ dicitur esse tale, quale non fuit ex qvo fuit gens. Quæ quidem nota temporis non potest competere nisi persecutioni omnium gravissimæ: qualis erit illa Gogica. 2. qvia *versu* 2. hujus capitis, post tempus illud angustiæ *versu* 1. immediatè agitur de resurrectione & ultimo judicio.

Qvadragesimus locus est Dan. 2. v. 11. 12. *A tempore autem, qvo ablatus fuerit jugis cultus, & posita abominatio desolans, dies erunt mille ducenti nonaginta.* Beatus *qvi præstolabitur, & perveniet ad dies mille trecen-*

trecentos triginta qvinqve. Hic verba iſta, *A tempore autem, &c.* ſunt accipienda de ultimo urbis excidio per Titum: qvia tum ablatus fuit jugis cultus, & poſita abominatio deſolans, ut patet ex collatione cum *cap.* 9. *Dan. verſ.* 26. 27. Deinde intelligendi ſunt dies prophetici, hoc eſt, anni: qvia hi dies ſunt homogenei ſeptimanis *cap.* 9. Septimanæ autem iſtæ ſunt propheticæ. Ergo & hi dies. Nimirum Daniel nos ducit ad finem mundi proponendo duas periodos N.T. eaſqve connectēdo cum LXX. ſuis ſeptimanis, hoc modo, LXX. ſeptimanæ terminantur excidio urbis, id eſt, anno Chriſti 69. Hic incipit epocha dierū: id eſt, annorum 1290. Ita perveniemus ad annum Chriſti 1359. Ubi figenda eſt epocha dierum 1335. Ita ergo deducimur ad annum Chriſti 2694. qvo deſinent mille anni Apocalyptici: & iis expletis incipiet bellum Gogicum: cui finē imponet ultimum judiciū. Vide pluribus in Theſauro noſtro chronologi-

co pagina 51. & seqq. Confer quoqve Annotationes Lucæ Osiandri super Dan. 12.

Qvadragesimus primus locus est Hos. 1. v. ult. *Et congregabuntur filii Iuda, & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum, & ascendent de terra: qvia dies magnus* Izrehel. Hoc sanè nondum est impletum.

Qvadragesimus secundus locus est Hos. 3. v. 4. 5. *Nam diebus multis desidebunt Israelitæ, nullo rege, nulloqve principe, & nullo sacrificio, nullaqve statua, nullo deniqve amiculo, aut imaginibus. Postea reversi Israelita quærent Iehovam DEum suum, & Davidem regem suum: & pavidi accedent ad Iehovam, & ad bonitatem ejus ultimis temporibus.* Chaldæa paraphrasis ita vertit: *Tempore multo permanebunt filii Israel, absque rege ex posteris* David, *neqve erit qvi gerat imperium in Israel, aut qui operetur sacris acceptis Deo, in Ieruſalem: neqve ulla erit statua in Samaria, neqve ulium* Ephod *& vates. Postea convertentur Israelitæ, & studiosi erunt cultus Domini* DEI *sui, & parebunt Christo*

filio

filio Davidis, regi suo; submittentqve se cultui Domini. ac tum immensa futura est bonitas eius, quæ illis eveniet postremis diebus. Hoc vaticinium, omni instantia majus, de Judæorum conversione ad fidem Christianam in fine seculi, intelligunt omnes prisci commentatores. Et sanè manifesta sunt verba: qvia Israelitæ, qui per Salmanasserem in exilium abducti & in varias regiones dispersi erant, dicuntur reversuri ad Jehovam & Davidem regem suum, id est, ad Christum, cuius typus David fuerat. Qvę reversio cùm nondum facta sit, certum est suo tempore futuram. Pertinet autem illa ad ecclesiæ N. T. felicitatem: quam Apocalypsis definit 1000. annorum periodo.

Qvadragesimus qvartus locus est Joel. 3. vers. 1. 2. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Qvam prophetiam loqvi de ecclesia N. T. planũ evadit ex collatione *v.* 13. cum *Apocal.* 14. *vers.* 15. 19. 20. Qvod autem hic dicitur de valle Josaphati, mysticè seu typicè est accipiendum. Sicut enim

in valle Josaphati DEUS olim prostravit Ammonitas & Moabitas, idque per angelos 2. *Chron.* 20. ita suo tempore hostes evangelii interficiet in loco simili, qui *Apoc.16.v.16.* appellatur Harmageddon. Ad rem hoc qvoqve facit, qvod vallis Josaphati appellatur *vallis triturationis*, quia Moabitæ & Ammonitæ ibi quasi triturati fuerunt: per qvorum triturationem significata fuit deletio hostium ecclesiæ Christianæ *Esa.* 25.*v.*10.

Qvadragesimus qvintus locus est Amos. ult. v. 14.15. *Convertam captivitatem populi mei Israel, & ædificabunt urbes desolatas, ac inhabitabunt. Et plantabo eos super humum suam, & non evellentur ultra.* Quæ prophetia loqvitur de conversione Israelitarum.

Qvadragesimus sextus locus est Mich. 2. v. 12. *Congregando congregabo Iacob totum te: congregando congregabo residuum Israel.* q. d. Omnes & singulas tribus, utpote semen Jacobi, congregabo ad Messiam, semen illud Abrahæ benedictum,

dictum, & benedictionis cornu copiæ.

Quadrageſimus ſeptimus locus eſt Mich. 4. Quo toto capite continetur prophetia de eccleſia N. T. ut percipi poteſt ex illis verbis, *Vltimis temporibus*, ſeu, *In extremitate dierum*, *v.* 1. item ex deſcriptioue vocationis gentium *v.* 1. 2. 3 Confer ſupra cum *Eſa.* 2. Cæterum præter prophetiam de vocatione gentium *v.* 1. 2. 3. quæ per prædicationem Apoſtolorum & ſucceſſorum eſt impleta; continetur prophetia de felici eccleſiæ ſtatu, qvæ adhuc reſtat implenda: videl. de pace eccleſiæ, *in fine verſus tertii*, *& verſ.* 4. tum de converſione Judæorum. *v.* 5. 6. 7. dehinc de eccleſiæ majeſtate. *v.* 8. denique de eccleſiæ victoria, qvam ab hoſtibus ſuis reportatura eſt, *v.* 9. *& ſeqq.*

Qvadrageſimus octavus locus eſt Mich. 5. v. 7. & ſeqq. ubi agitur de converſione Judæorum.

Qvadrageſimus nonus locus eſt Zephan. 3. v. 9. uſqve ad finem. Hic continetur

prophetia triplex. I. de vocatione gentium, quæ facta est per prædicationem Apostolorum, *v.* 9. 10. II. de conversione Judæorum, *v.* 11. 12. 13. 19. 20. III. de deletione hostium ecclesiæ, v. 14. & deinceps usque ad illa verba v. 19. Et servabo claudicantem, &c.

Quinquagesimus locus est Zephan. ult. v. 10. *Trans flumina Chus, Hatharai, filia dispersorum meorum deferent munus meum.* Hoc ita circumscribit Chaldæus: *E regionibus ultra flumina India, per misericordiam revertentur exules populi mei qui abducti fuerant, eosque adducent velut oblationes.*

Qvinquagesimus primus locus est Zach. 2. v. 10. & seqq. Hanc prophetiam loqui de ecclesia N. T. perspicuum evadit ex *versu* 10. & 11. ubi Judæi jubentur exire ex captivitate Babylonica: quæ tum temporis jam fuerat peracta. Unde colligitur, sermonem hic esse de Babylone mystica *Apoc.* 18. *v.* 4. Promittitur autem hic fidelibus N. T. defensio contra hostes, *v.* 12. & 13. item con-

conversio gentium, *v.* 15. & Judæorum *v.*16. deniqve gaudium ex defensione atqve inhabitatione DEI oriturum, *v.* 14. 17.

Quinqvagesimus secundus locus est Zach. 12. v. 1. usqve ad finem. Prophetiam hujus capitis loqvi de ecclesia N. T. percipi potest ex eo, quod sensui literali de protectione Hierosolymæ *v.* 2. *& deinceps* adversatur experientia: qvia inde à tempore hujus prophetiæ, qvæ ad Judæos, reduces, è Babylonia, pronuntiata fuit, urbs Hierosolyma non ita est protecta, sed è contrario à Romanis eversa. Unde planum evadit, per Hierosolymam hic mysticé intelligi ecclesiam N. T. Qvæ mystica locutio non est insolens in istiusmodi prophetis. Cæterum de ecclesia N. T. prophetatur partim victoria, qvam reportatura est ab Antichristo; partim conversio Judæorum. Confer *Apocal.* 19. *v.* 11. *& seqq.*

Qvinqvagesimus tertius locus Zach. 14. v. 6. & seqq. Hanc prophetiam agere

de eccleſia N. T. percipi poteſt ex eo, qvod ſenſui literali de plaga oppugnãtium Hieroſolymam v. 12. 13. 14. 15. adverſatur experientia, qvippe cùm inde à tempore hujus prophetiæ oppugnatores Hieroſolymæ non ſint tali plaga affecti, imo è cõtrario Hieroſolyma à Romanis ſit everſa. Relinqvitur ergo ut per Hieroſolymam hic myſticè intelligatur eccleſia N. T. cujus hoſtes afficientur non una plaga, qvæ hic pluribus indicatur. Itaqve hic prophetatur deletio hoſtium eccleſiæ N. T. ac proinde etiam illius illuminatio & amplificatio, de qvibus hic agitur *v. 6. 7. & ſeqq.*

Qvinqvageſimus qvartus locus eſt Malach. 3. v. 19. 20. 21. vel juxta alios c. 4. v. 1. 2. 3. Hanc prophetiam loqvide eccleſia N. T. clarum eſt ex illis verbis, *Exorietur autem vobis ſol juſtitiæ.* Duo autem hic promittuntur eccleſiæ N. T. qvæ nondum ſunt impleta: videl. deletio hoſtium *v.* 19. & liberatio eccleſiæ à perſecutione.

Qvin-

Qvinqvagesimus qvintus locus est Malach. 4. v. 4. 5. Ubi agitur de adventu Eliæ, *anteqvam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Quæ qvidem prophetia geminam habet impletionem: unam in Johanne Baptistâ, alteram in alio quodam heroe, qui adhuc venturus est. Hoc ita patet. Christus docet *Mat.* 11. *&* 17. hanc prophetiam in Johanne Baptistâ fuisse impletam, nempe ratione Zeli. Sed reliqua, qvæ apud Malachiam & Matthæum dicuntur de Eliâ, non competunt Johanni Baptistæ. Nam Malachias ait, Eliam venturum, anteqvam veniat dies Domini magnus & terribilis: qvod utique non est accipiendum nisi de judicio DEI adversus Antichristum, vel de ultimo judicio. Nam adventus Christi in carnem non fuit terribilis. Deinde Christus dicit Matth. 17. v. 11. Eliam omnia restituturum. Quod non fecit Johannes Baptista: Itaque necessario statuendum est, hoc vaticinium habiturum geminam impletionem. Quo pertinet

illud Augustini de considerat. Evangel. lib. 1. c. 21. *Restituet* (Elias) *omnia. id est perturbatos Antichristi persecutione, in fine solidabit.* Ita & reliqui Patres semper intellexerunt Malachiam. Theodoretus in comment. ita scribit hac de re: *Diem secundi adventus dixit: docetqve item qva magnus Elias facturus sit, cum venerit.* Et paulo post: *Prius veniet Elias; & vobis, ô Iudæis, in animum inducet, ut sine dubitatione, cum gentium fidelibus coniungamini, & redigamini in unam ecclesiam meam.*

Qvinqvagesimus sextus locus est Mat. 23: v. ult. ubi Christus Judæos ingratos ita alloquitur: *Dico enim vobis, neqvaqvam me videbitis ab hoc tempore usqve dum dicatis, Benedictus qvi venit in nomine Domini.* Quibus verbis Christus indicat, Judæos ipsum tandem aliqvando visuros, non eqvidem in ultimo judicio, sed ante illud: q. a nō in ultimo judicio acclamabunt ipsi, *Benedictus* &c. (tum enim trepidabunt, qvi non fuerint cōversi ad ipsum) sed illo tempore, qvo se ipsis ostendet, ut convertat ipsos ad veram fidem.

Qvinqvageſimus ſeptimus locus eſt Matt. 24. v. 14. *Et prædicabitur iſtud Evangelium regni in toto terrarum orbe, ut ſit teſtimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis.* Ecce ante ultimum judicium ipſi etiam Indi, & alii, qui nondum agnoſcunt Jeſum Chriſtum, adducentur ad eccleſiam!

Qvinqvageſimus octavus locus eſt Lucæ 21. v. 24. *Et cadent* (Judæi) *acie gladii, & captivi ducentur in omnes gentes: & Hieroſolyma calcabitur à Gentibus, uſqve qvo impleantur tempora Gentium.* Hic locus lucem accipiet ex proximè ſeqventi. Nimirum Servator docet, Judæos à Gentibus eſſe vexandos longo tempore; & eò elapſo ad fidem convertendos.

Qvinqvageſimus nonus locus eſt Rom. 11. v. 25. 26. 27. Apoſtolus hoc loco docet, Judæos tantiſper in cœcitate & calamitate ſua permanſuros, donec plenitudo Gẽtium introierit, hoc eſt, donec reliqvæ orbis nationes ad Evãgelium confluxerint. Tum enim fore,

ut totus Israel servetur. Et hoc vocat mysterium: non sanè ab re. Nam hoc est illud propheticum arcanum, sæpissimè apud prophetas inculcatum; qvod nō vult Paulus à gentibus ignorari: ne despiciant Judæos, tanqvam in perpetuum rejectos.

Sexagesimus locus est 2. Cor. 3. v. 15. 16. *Igitur ad hunc usqve diem cum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est. Qvando vero sese converterit* (Israel) *ad Dominum: auferetur velamen illud.* Apostolus duo hic docet de Judæis. 1. occalluisse mentes illorum, ut loquitur *versu præced.* 2. ipsos aliquando convertendos esse per Spiritum Christi.

Sexagesimus primus locus est Apoc. 12. v. 5. *Peperit autem filium masculum* (Christum) *recturum omnes Gentes virga ferrea.* Confer Psal. 2. Ex collatione duorum istorum locorum colligere est, Christum fore dominum & regem omnium populorum, Judæorum & Gentium, qvatenus illos congregabit in ecclesiam, eosq; ibi reget ac pascet.

Sexag.

Sexageſimus ſecundus locus eſt Apoc. 14. v. 8. ubi indicatur ruina Babylonis myſticæ: quæ ad felicitatem eccleſiæ pertinet. Cùm autem illa nondum acciderit, certò futura eſt.

Sexageſimus tertius locus eſt Apoc. 14. v. 14. uſq; ad 21. ubi indicatur deletio hoſtium eccleſiæ N. T.

Sexageſimus quartus locus eſt Apoc. 18. per totum. ubi cõtinetur illuſtris prophetia de excidio urbis Romæ atque interitu Antichriſti.

Sexageſimus qvintus locus eſt Apoc. 19. v. 1. 2. 3. ubi ſimiliter continetur prophetia de excidio urbis Romæ, & interitu Antichriſti.

Sexageſimus ſextus locus eſt Apocal. 19. v. 11. uſque ad finem. Ubi eſt clara prophetia de clade exercitus Antichriſtiani.

Atque hæc ſunt teſtimonia Scripturæ, numero LXVI. quibus felicitas eccleſiæ, de qua tractandum ſuſcepimus, prophetatur, promittitur, depingitur. Nullum mihi eſt dubium,

attentum lectorem facilè observaturum insignem harmoniam, in his Scripturæ dictis, & iis alia inter legendum adjecturum.

Tertia classis argumentorum.

HAec classis exhibet rationes qvasdam & consensum doctorum qvorundam virorum.

Rationes sive consequentia.

I. Omnes persecutores ecclesiæ tandem fuerunt à Deo puniti. Ergo & magnus Antichristus certò punietur. Antecedens probatur partim à natura Dei, partim inductione exemplorum.

II. Post longas & atroces persecutiones ecclesia sensit aliqvam in his terris reqviem. Ergo & à persecutione Antichristiana respirabit, & qvidem in his terris: qvia Deus hoc ipsi promisit.

III. Ubi humanum deficit auxilium, ibi divinum incipit; sicut olim Philo

Philo Judæus ſcitè ac piè dixit, Hoc ſanè teſtatum faciunt exempla eccleſiæ veteris mirabiliter liberatæ ex ſervitute Ægyptiacâ, *Exod.* 12. & 14. ab obſidione Hieroſolymorum per Sennacheribum, 2. *Reg.* 19. ab invaſione hoſtili Æthiopum ſub rege Aſa 2. *Chron.* 14. ab invaſione Moabitarum & Ammonitarum ſub rege Joſaphato 2. *Chron.* 20. denique à preſſura Antiochi Epiphanis 1. *Maccab.* 1. *& deinceps.* His adde varia exempla eccleſiæ N.T. qvæ omnibus rebus conclamatis & deſperatis, ἀπὸ μηχανῆς eſt liberata divinitus. Vide paſſim hiſtor. Eccleſiaſt. Hinc merito colligimus, eccleſiam nunc temporis circumcirca preſſam & omni humano auxilio deſtitutam, divinitus aſſertum iri, qvando Antichriſtus in pleno curſu felicitatis ſuæ nihil tale cogitabit.

IV. Ruina Antichriſti, & ligatio Satanæ per mille annos, continuè cohærent. Itaqve veriſimile eſt, initium mille annorum eſſe præ foribus.

Nam

Nam Antichristus illo ipso tempore, qvo sibi ob victorias applaudet, subitò cadet. *Apoc.* 18. *v.* 7. 8.

V. Varia phænomena, puta stellæ novæ & cometæ: item terræmotus, & similia, qvæ proximis his annis observata sunt, proculdubio portendunt mutationem aliqvam insignem.

VI. Periodus regni Antichristi qvi feré jam est elapsa: ut patet ex Apocalypsi & historia.

VII. Daniel *cap.* 12. finem suæ prophetiæ prædicit, dum exprimit annos 2625. elapsuros inde à fine LXX. septimanarum, id est, ab anno Christi 69. Itaqve si addantur isti anni, conficitur summa annorum 2694. Quo temporis curriculo contingent omnia, qvæ prædicta sunt, excepto ultimo judicio, & qvæ illud seqventur. Qvare si ab annis 2694. subducantur anni 1000. perveniemus ad annum Christi 1694. Itaq; vel isto anno, vel citius incipient mille nostri anni.

Consensus piorum & doctorum virorum.

In

In prima acie collocamus *librum qvartum Eſdræ*. Nam ibi multa occurrunt de converſione Judæorum, de liberatione eccleſiæ N. T. ab Antichriſto, & alia his ſimilia. Nominatim illuſtre eſt illud cap. 13. v. 39. 40. *Qvod autem vidiſti eum colligentem ad ſe aliam multitudinem pacificam; Hæ ſunt decem tribus, captivæ abductæ è terra ſua diebus Hoſeæ regis*, &c. Quæ ab eodem adferuntur *cap.* 11. *&* 12. de aqvila & leone, ab aliis aliter explicantur.

Ex *Sibyllis* etiam adferuntur nonnulla de ruina Antichriſti, & felici mundi ſtatu poſt illam ruinam. Celebre eſt illud: ῥώμημὲν ῥύμηἔσεται.

Patres omnes fuerunt in hac ſententia, Eliam venturum, & omnia reſtituturum.

Qvidam, ut videre eſt apud Alfonſum Conradum in comment. ſuper Apoc. inter aduentum Chriſti in carnem & adventum ejus in majeſtate, adventum qvendã medium aſtruunt, qvem ipſi vocant virtutis & efficaciæ

ſpiri-

spiritualis ad interficiēdum Antichristum magnum, & ecclesiam reformandam. Hunc adventum futurum esse dicunt in fine sexti millenarii: cujus adventus præcursores faciunt Enochum & Eliam. Horum prædicatione dicunt interficiendum esse Antichristum, & ejus regnum abolendum. Quo debellato pax dabitur ecclesiæ, & Satan alligabitur, ne pacem turbare possit. Hanc verò pacem & ecclesiæ profectū asserunt toto septimo millenario duraturam, donec à persecutione gentium Gog & Magog omnino turbetur: qvia Satan, quem tum solvendum esse dicunt, eas cōcitabit adversus pios. Ex hac commemoratione patet, sententiam de mille annis non esse novam.

Alfonsus Conradus Mantuanus commentario in Apocalypsin an. 1574. Basileæ edito, sequentia tradit:

In Præfatione. Hoc unum fortè nonnullorū auribus offēdiculo erit, quod videar

videar uberiorem pacem ecclesię polliceri, qvàm patiatur ea crucis imago, juxta qvam in hoc seculo conformanda est ejus capiti Christo. Sed meminerint, quæso, non esse hoc tam alienum à Scripturis, ut mihi perinde impingi debeat, ac si esset in eorum albo recensendum, qvod vel impium, vel absurdum nominatur; præsertim cùm non videam, qvo pacto ea felicitas, qva scribit Johannes ecclesiam ligato Satana gavisuram, verificari possit, nisi aliqvam ecclesiæ, devictis hostibus, reqviem agnoscamus. Quod sanè puto semper accidisse, quoties contigit hostes populi Dei è medio tolli. Qvia verò ecclesiæ hostis, qvem Johannes describit è medio tollendum, perniciosior est omnibus, qui hactenus populo Dei infensi fuerint, non mirum cuipiam videri debet, si devicto ipso, uberiori pace fruatur ecclesia.

In cap. 20. *Apocal. v.* 1. Daturus Dominus ecclesiæ suæ pacem uberiorem, qvam hactenus dederit, non sufficit

ei

ei bestiam & eos reges terræ, qui bestiæ faventes pacem omnino turbabant, horrenda strage abstulisse, nisi Satanam ipsum, qui est omnium malorum caput, ita cohibeat, ut minimè possit solitas rixas inter homines effundere. Qvare descendit angelus de cœlo, qui Satanæ rabiem frænans adigat illum in abyssum, ibiq; manere compellat, qvamdiu voluerit pacem ab ecclesia non auferri.

Et paulo post. Ligat autem & claudit illum in abyssum per mille annos, hoc est, per totum illud tempus, qvo statuerit Deus ecclesiæ pacem non turbari à Satana.

Vide ibidem plura in hanc sententiam.

Lucas Osiander super Dan. 12. Puto horum annorum finem incidere in illud tempus, qvo Romanus Pontificatus etiam corporaliter evertetur: etiamsi in qvorundam animis occultè usq; ad noviſſimum diem residebit.

Matthæus Cotterius expositione Apocalypseos perpetua atque apodictica, in cap. 20.

Sata-

Satanas vinculis cõſtringi cœpit, cum ſuſcitatis teſtibus pulſiſque mendacii tenebris, cœpit rediviva Scripturarũ veritas in terris obtinere: ubi compeſcetur Satanas per mille annos, qvos labi oportet, antequam nouos per orbem ſpargat errores, per eoſq; mundum ſeducat. Hæc hæc captivitas, hæc libertas ſive liberatio Satanæ,

Ibidem in verſu 2. Qvando autem vincîri occœpit Satanas? Anno 1517. cum ſuſcitati teſtes. Ab eo tempore populi Omnes novum hæreſeos venenum non hauſerunt, quod fidem labefactet atqve evertat.

Ibidem: Annis 1517. adde annos 1000: conficiens 2517. qvo demum tempore Satanas gentes in abominandas hęreſes denuo rapiet.

In hac expoſitione Cotterii recte urgetur litera mille annorum. Sed epocha non rectè figitur in anno 1517. Nam tum cœpit præludium hujus millenarii.

Iohannes Piſcator commentario in Apocalypſin:

calypsin: Felicitas fidelium, qui post ruinam Papatus in terra victuri sunt, est securitas ab hostili incursu impiorum per mille annos.

Ibidem: Felicitas singularis martyrum Christi, qui ante illos mille annos fuerint supplicio affecti, est resurrectio ante universalem resurrectionem futura, & regnatio cum Christo in cœlo per mille annos ante resurrectionem reliqvorum.

In hac expositione rectè urgetur literalis expositio. Sed qvod dicitur, martyres cum Christo regnaturos in cœlo per mille istos annos, non potest probari è textu. Imo contrarium potest inde probari: qvia nempe resurrectio martyrum est pars felicitatis ecclesiæ in his terris. Deinde regnum, qvod definitur certo annorum numero, non convenit vitæ æternæ. Vide qvoqve *Apocal. 5. v.* 10. ubi sancti cœlites inter alia sic canunt: *Et regnabimus super terrã,* ἐπὶ τῆς γῆς, id est, in terra. Cæterum idem *Iohannes Piscator* sententiã de mil-

le

le annis tuetur in verſione German. Bib. & paulò ante obitum ſcripſit brevem tractatū de futura eccleſiæ in hac vita felicitate: unde multa tranſtuli in hanc meam meditationem; qvia nondum aſpexit lucem iſte tractatus.

Multi ex ſuperioris & hujus ſeculi ſcriptoribus multa ediderunt de Elia artiſta, qvi ſit venturus; de Leone Septentrionali, qvi ſit præ foribus; de qvarta monarchia ſeptentrionali; de magna reformatione: de converſione Judæorum, &c. Vide *Theophraſtum Paracelſum, Michaelem Sendivogium tract. de Sulphure, Stephanum Pannonium de circulo operum & judiciorum* DEI, ubi inter alia ſic ſcribit: *Futurum tamen ut Americanis purum* DEI *Evangelium ante finem mundi prædicetur.* Item, *certo certius eſſe appropinqvante orientis & meridiei reformatione, inſignem aliqvem Imperatorem, cujus typi Conſtantinus & Theodoſius, uterqve Magnus fuere, palam proditurum, & erectæ libertate religionis iis, qvi nomen* SS. *Trinitatis profitentur, aliqvid magni ad gloriam*

riam DEI *& ecclesiæ ædificationem, ruinamque Babylonis in mundo peracturum.* Ibidē: *Christiani orientales zelo Christi ardentes, & in ipsam Asiam penetrantes, provocabunt ad zelum Iudæos* Rom. 11. *& Babylon spiritualis præda erit omnibus gentibus.* Ibidē: *Hanc reformationem lustratio militū* DEI, *de qva* Zach. 13. v. 8. *id est, tentationes, præcedent, ut ex cruce lux Dei oriatur.* Editus est hic tractatus anno 1608. *Iohannes* qvoqve *Dobricius* anno 1612. edidit insignem libellum, qui inscribitur προνομηνύτως: ubi multa egregiè ex Scriptura sacra, nova stella anno 1604. & magna conjunctione planetarum disseruntur de reformatione & felicitate ecclesiæ futuræ.

2.

Refutatio obiectionum.

Prima objectio sumitur ex *Matt.* 24. *v.* 14. Si post prædicatum evangelium in universa terra veniet finis mundi, ante finem mundi non interveniet illa ęcclesiæ in mundo felicitas. Nam evā-

gelium

gelium prædicatum jam eſt in univerſa terra. *Reſp.* 1. Negatur conſeqventia: qvia etſi felicitas illa interveniet, tamẽ poſt prædicatum in univerſa terra Evangelium finis mundi veniet. 2. Negatur proſyllogiſmus iſte, qvòd Evangelium jam ſit prædicatum in univerſa terra.

Secunda objectio ſumitur ex *Matt* 24. *v.* 29. 30. Si ſtatim poſt excidium Hieroſolymæ Chriſtus veniet ad judiciũ, nõ ergo adventum illius ad judicium antecedet illa felicitas eccleſiæ. *Reſp.* Res ipſa loqvitur, & experientia teſtatur, vocem *Statim* hic non eſſe intelligendam propriè & ſimpliciter, ſed hyperbolicè & ſecundum qvid, per relationem videl. ad præcedentem prophetiam de clade Judæorũ, qvam accepturi erant per excidium Hieroſolymæ; ut ſenſus ſit, inter illud excidium & adventum Chriſti non interuenturam aliam cladem Judæorum.

Tertia objectio ſumitur ex *eodem cap. v.* 37. 38. 39. Si ſub adventum Chriſti ad

judicium talis erit mundi ſtatus, qvalis fuit tempore Noë ante diluvium; & verò hoc tempore talis ſtatus cernitur: colligitur hinc non anteceſſurum ante adventum Chriſti talem eccleſiæ ſtatum, qvalis deſcriptus eſt, in qvo ſcil. credentes magno numero per mille annos Deum culturi ſint: ſed potius adventum illum præ foribus eſſe, vel certè nõ diu dilatum iri. *Reſp.* Cum ſtatu illo fidelium per mille annos duraturo conjunctæ erunt reliqviæ devictorum hoſtium eccleſiæ, qvi ſub finem iſtius millenarii vires recolligent, & fidelibus bellum inferent. Et tum temporis erit ſtatus mundi, qvalis fuit temporibus Noë. Sicut itaqve temporibus Noë ſupervenit diluvium: ita exactis mille annis, tempore belli Gogici, ſuperveniet ultimum judicium. Ex his efficitur, prophetiã hanc Chriſti, ſalva illa felicitate eccleſiæ, in impiis illis impletum iri.

Qvarta obiectio ſumitur ex *Luc.* 18. *v.* 8. Si in adventu Chriſti ad judicium nulli, aut

li, aut certè pauci, credentes erunt in mundo: non eſt probabile ingentem fore credentium numerum per mille annos adventum illum proximè anteceſſuros. *Reſp.* Chriſtus his verbis non ſimpliciter ſignificat, ſe paucos in terra inventurum credentes, in adventu ſuo ad judicium: ſed paucos reſpectu hoſtium eccleſiæ, qvi tum bellum illaturi ſunt ſanctis: qvorum hoſtium numerus erit ſicut arena maris. *Apocal.* 20. *v.* 8.

Qvinta objectio ſumitur ex *Act.* 14. *v.* 22. Oportet nos per multas afflictiones ingredi in regnum cœlorum. Ergo eccleſia non erit in hac vita expers perſecutionis. *Reſp.* Paulus & Barnabas ibi loqvuntur de ſtatu illius temporis, interim non negantes, fore qvoqve certa tempora, qvibus eccleſia à perſecutione ſit liberanda: uti factum eſt tempore Conſtantini Magni, Theodoſii, &c.

Sexta objectio ſumitur ex 1. *Cor.* 10. *v.* 21. ubi Apoſtolus ait, fines ſeculo-

rum in se & reliqvos fideles illius temporis occurrisse. Quare si fines seculorum præstò fuerunt tempore Pauli, multò magis hoc tempore præstò sunt: quia ex illo tempore ferè sedecim secula elapsa sunt. Proinde non est probabile ad finem mundi restare adhuc mille & amplius annos. *Resp.* Verba illa Pauli non hunc habent sensum, qvasi jam tunc instaret dies ultimi judicii: hanc enim sententiam ipsemet rejicit, 2. *Thess.* 2. *v.* 2. Itaqve statuendum, Paulum per *fines seculorum* intelligere statum N. T. seu ætatem mundi ultimã, quæ incepit à promulgatione Evangelii in orbe terrarum, & finienturin adventu Christi ad judicium. Illius autem ætatis pars sunt mille illi anni, qvi nondum cœpetunt.

Septima objectio sumitur ex 2. *Thess.* 2, *v.* 8. ubi Apostolus testatur, qvòd Antichristum Dominus illustri suo adventu demum abolebit. Qvare si Antichristus abolebitur adventu Christi ad judicium, non utiqve abolebitur

mille

mille ante adventum illum annis. *Resp.* Apostolus loquitur de regni Antichristi abolitione plena & finali, qva fiet ut illud cessaturum sit unà cum statu hujus mundi. Interea tamen per mille istos annos semper erunt reliqviæ Antichristi, qvæ sub finem istius millenarii recolligent vires, & cæteris gentibus se adjungent ad bellum sanctis inferendum: & tunc prorsus abolebuntur. *Apocal.* 20. *v.* 8. 9.

Octava objectio sumitur ex 1. *Iohan.* 2. *v.* 18. ubi Apostolus ait, ultimam horam esse. *Resp.* Johannes per ultimam horam intelligit statum N. T. seu ultimam mundi ætatem, cujus pars etiam sunt mille anni. Dicitur autem status N. T. inde à promulgatione Evangelii in orbe terrarum usqve ad secundum Christi adventum ultima hora: qvia est tempus gratiæ ultimum, post qvod nō est expectandum aliud. Christus enim in plenitudine temporis venit, & ejusmodi œconomiam in ecclesia N. T. substituit in locum œ-

conomiæ V. T. ut alia non sit expectanda.

Nona objectio sumitur ex *Apocal.* 19. v. 20. Si textus iste intelligendus est de ultimo judicio, non est igitur intelligendus de ruina regni Antichristi, tanqvam mille annis judicium illud antecessura. Sed verũ prius. Ergo & posterius. Prob. ass. qvia ibi continetur descriptio ultimi judicii: qvã clausula visiones præcedentes omnes excepta prima, terminantur. *Resp.* Nego assumptionem: qvia ex versu seqvente, *qvi cum illo* per conjunctionem copulatvam, & per nomen οἱ λοιποὶ, reliqvi, cohæret, manifestum evadit, sermonem hic esse de clade & strage Antichristi & assectarum ejus. Verba sic habent: *Et reliqvi occisi sunt gladio ejus qvi insidebat eqvo prodeunte ex ore ipsius: & omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.* Post hãc autem cladem non statim venturum Christum ad judicium, evincitur ex eo, qvòd adventus ille demum futurus est post bellum Gogicum c. 20. v 8. 9. Istud

9. Istud autem bellum ab illo, qvod in loco propositò narratur, diversum erit: ut patet ex collatione *cap.* 20. *v.* 10. cum *cap.* 19. *v.* 20.

Decima objectio sumitur ex *Apoc.* 20. *v.* 2. 3. ubi dicitur Satanam vinctum fuisse ad annos mille, ut non ampliùs seduceret gentes, donec complerentur mille illi anni: nempe, ut non seduceret gentes ad idololatriam. Hoc autẽ factum est per prædicationem Evangelii, inde ab anno Christi 70. postqvam destructa Hierosolyma, Judæi rejecti, & in eorum locum adscitæ Gentes in ecclesiam fuerũt. Tum certè Satan est ligatus, ne seduceret ampliùs gentes: non ut nemini ampliùs noceret: sed ne diutiùs gentes crassa illa paganismi idolomania demẽtare, & fidem Evangelii inter gentes impedire posset. Hinc non obscurè colligitur, unde arcessenda sit epocha istorum mille annorum. *Resp.* Textus nõ loqvitur tãtum de seductione ad idololatriam, sed etiam, & qvidem præ-

cipuè, de ſeductione qva Satanas antehac ſeduxit, & circa finem mundi ſeducturus eſt gentes ad inferendum bellum Eccleſiæ. Deinde falſum eſt, Satanam inde ab anno Chriſti 70. eſſe ligatum per mille annos: qvia ab illo tempore innumeræ & immanes hæreſes, defectiones, ſcandala &c. extiterunt. Sanè Satan tum temporis etiam ligatus eſt, ſed non eo modo & gradu, qvo ligabitur per mille annos. Deniqve per *Gentes* d. l. oportet intelligere non ſolum gentiles, ſed etiam Judæos: qvi ſané adhuc ſeducuntur, ut & Indi, Turcæ, & alii.

Vndecima objectio ſumitur ex *Apocal.* 20. *v.* 1. ubi dicitur angelum illum, qvi Satanam ligavit, deſcendiſſe è cœlo. Per hunc itaqve angelum oportet intelligere Chriſtum, qvi deſcendit è cœlo *Iohan.* 3. *v.* 13. Hinc colligere eſt, mille iſtos annos cœpiſſe circa nativitatem Chriſti. Nam tum temporis oracula conticuerunt. Unde Apollo conſultus ab Auguſto Cæſare ita reſpon-

ſpondit: *Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernant, Cedere ſede jubet, triſtemqve redire ſub orcum. Ergo dehinc aris tacitus diſcedito noſtris.* Ecce diabolus ipſe teſtatur, ſe ligatum eſſe hoc tempore. *Reſp.* 1. Sicut in antecedentibus viſionibus angeli boni fuerunt executores judiciorum DEI, ita qvoqve verisimile eſt in hac viſione adhibitum fuiſſe angelum creatum. 2. Chriſtus *Iohan.* 3. dicitur é cœlo deſcendiſſe, id eſt, aſſumſiſſe humanam naturam. At hoc in loco angelus, qvi habet clavem abyſſi, deſcendit é cœlo per motum localem, ut vinciat diabolum per mille annos incepturos poſt ruinam Antichriſti. 3. Verum eſt, diabolus vinctus eſt tempore nativitatis Chriſti, ſed non eo modo, ut hic narratur. Vide ſupra analyſin. Plures nempe ſunt modi & gradus, quibus diabolus ligatur.

Duodecima objectio eſt ejuſmodi: Expoſitio de reſurrectione martyrum pugnat cum articulo fidei, Credo reſurrectio-

surrectionem carnis. Ita enim gemina carnis resurrectio statuitur contra fidem Apostolicam. *Resp.* Articulus ille loquitur de finali & universali resurrectione, quæ futura est die ultimo, quâque resurgent omnes mortui. At ista resurrectio non negatur per resurrectionem martyrum, quæ illam antegressura est: non magis quàm per resurrectionem sanctorum, qui resurrexerunt, cùm Christus emisisset spiritum, pendens in cruce. *Matth.* 27. *v.* 50. 51. 52.

Decimatertia objectio sumitur ex *Apoc.* 20. *v.* 6. ubi omnes & soli illi beati prædicantur, mortisque secundæ immunes, qui habent partem in resurrectione prima: unde sequitur, vel nullã fore resurrectionem corporum post primam resurrectionem, vel nullos in secũda resurrectione fore beatos: quod utrumque absurdum est. *Resp* 1. Imò posterius tantum absurdum ex illo antecedente sequitur. 2. Antecedens est falsum, nec habetur in textu. Neque

qve enim ibi dicitur, *Beati illi ſoli*, &c. Qvòd autem iſti nominatim beati prædicantur, id fit reſpectu prærogativæ, qvatenus præ aliis fidelibus beati erunt: qvippe mille annis ante diem ultimum cum Chriſto regnaturi. Et hoc innuitur addita voce *ſanctus*: qva ſignificatur illos à cæteris fidelibus ſegregatum iri ad peculiarem hanc felicitatem, qvòd reſurrecturi ſunt ut cum Chriſto regnent ante illos. 3. Beatitudo illa integratur tribus partibus: é qvibus prima ſeorſim conſiderata, etiam competit reliqvis credentibus. Sed qvatenus conjungitur cum duabus ſeqventibus partibus, nonniſi de martyribus enuntiari poteſt: ut patebit inſpicienti totum contextum verſus ſexti.

Decima qvarta objectio ſumitur ex *Apoc.* 20. *v.* 6. unde colligitur reſurrectionem primam oppoſitam habere mortem primam. Itaqve per reſurrectionem primam intelligenda eſt reviviſcentia animarum ex morte peccati

per fidem & resipiscentiam, seu regeneratio. Certè omnes & soli veré regeniti sunt immunes mortis secundæ sive æternæ, & certò consequuntur beatitatem cœlestem: argumento loci citati. Unde resurrectionem primam non esse corporalem & particularem solidé efficitur. *Resp.* Resurrectio prima, de qva hoc loco agitur, non opponitur morti primæ: qvippe cujus nulla hic est mentio: sed opponitur resurrectioni secundæ, ut patet ex illis verbis, *Reliqvi verò mortuorum non revixerunt, donec expleti essent mille illi anni.*

Decima qvinta objectio est ejusmodi. Resurrectio prima non est resurrectio corporalis: qvia si corporalis est, non est prima. Nam resurrectio aliorum, v. g. sanctorum illorum, qvi resurrexerunt Christo pendente in cruce, anteceſſit. *Resp.* Resurrectio illa martyrum nominatur prima per excellentiam, propter illorum multitudinem; cujus respectu resurrectio illa sanctorum in numerum non venit propter pauci-

paucitatem. Nam etsi dicuntur tunc multa corpora sanctorum resurrexisse: tamen respectu martyrum pauci fuerunt: qvippe qvi egressi sunt ex monumentis illis tantùm, quę sita fuerunt prope Hierosolymam.

Decima sexta objectio est talis: Usitatum est axioma in schola theologorũ: *Resurrectio prima* est reviviscẽtia animarum à morte peccati, per fidem & resipiscentiam, qvæ aliâs dicitur regeneratio; & opponitur *morti primæ*, quæ est animæ defectio & abjectio à Deo. At *resurrectio secunda* erit suscitatio corporum animabus uniendorum ad vitam æternam; cui opponitur *mors secunda*, qvæ erit abjectio damnatorum in cruciatus æternos. *Resp.* Resurrectio itaqve prima dicitur ambiguè. Aut enim opponitur morti primæ, & ita est spiritualis, ac omnium credentium: aut opponitur resurrectioni secundæ, & ita est corporalis, ac solorum martyrum.

Decima septima objectio: Mille anni li-

gati Satanæ obscurum nobis habent mysterium. Frustra itaqve & temerè laboratur in scrupulosa hujus mysterii enodatione. *Resp.* 1. Mysteria in Apocalypsi multa sunt: qvæ successu temporis magis magisqve innotescunt. 2. Temeritatem improbamus: piam diligentiam laudamus.

Decima octava objectio. Ex fine ligationis Satanæ colligitur epocha mille annorum Apocalypticorum. Terminus autem ille incurrit in annum Christi 1073. qvo Gregorius VII. diabolicus præstigiator, occupato Papatu, cœlum terræ miscens, orbemqve Christianum bellis accędibus replens, singulare organum Satanæ vinculis soluti se declaravit. Hinc patet, annos illos mille incipere anno Christi 73. *Resp.* Sané Satā año Christi 1073. solutus est, sicut semper solvi existimandus est, qvando turbat ecclesiam. Verùm solutio illa, qvæ fiet post annos illos mille, erit longè alia. Tum enim solvetur Satanas, ut gentes excitet ad bellum Gogicum:

gicum: & qvidem ſolvetur ita, ut non diu graſſetur. Jam verò inde ab anno 1073. aliqvot ſecula fluxerunt ad hoc uſqve tempus.

Decima nona objectio: Opinio hæc parum differt ab erroie Chiliaſtarum, qvi jam olim hoc nomine eſt exploſus, qvòd poſt Antichriſtum ſublatum, martyrum & cõfeſſorum reſurrectionem corporalem, & regnum millenarium cum Chriſto ante reſurrectionem univerſalem ex hoc ipſo *capite* 20. fingeret. *Reſp.* 1. Chiliaſtarum opinio propter hanc cauſam explodi non debuit, qvòd ſtatueret duplicem reſurrectionem, unam particularem, alteram univerſalem: qvia ſanè tempore Chriſti pendentis in cruce fuit reſurrectio ſanctorum particularis: & reſurrectio martyrum in hoc textu eſt fundata. Idem eſt judicium de regno millenario. 2. Chiliaſtæ errarunt hoc nomine, qvòd vitam æternam conſtituerunt in hac terra, & in urbe Hieroſolymorum. Eſſe videlicet eam omnium

omnium carnis voluptatum fruitionem & usum, qvæ per mille tantùm annos sit duratura. Cujus suæ sententiæ fundamentum posuerunt, qvòd mille annorum in Apocalypsi *cap.* 20. *v.* 2. facta sit mentio. Audiamus hac de re Augustinum libr. de hæresibus, cap. 8. *Mille qvoqve annos* (Cærinthiani) *post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris & libidinis voluptates futuros fabulantur: unde etiam Chiliastæ appellati sunt.* Ita Chiliastæ. Nostra verò sententia nõ statuit mille annorum voluptates carnales, sed gaudia spiritualia. Sed instant: Chiliastarum sententia subseqventibus temporibus est interpolata: & ab illa ne gry qvidem differt vestra expositio. Hoc autem ita probant. *Alfonsus Conradus Mantuanus*, qvem supra non semel allegastis, ita scribit in cap. 20. Apocal. *Sed qvomodo interpretandi sunt mille anni, an scilicet jam præterisse dicendi sunt, an adhuc expectandi? Non facile te extricabis: cùm hujus loci variæ admodum sint expositiones,*

nes, & mihi adhuc in medio sit, an qvispiam vel antiqvorum vel recentiorum germanum hujus loci sensum attigerit. Primùm qvidem fuerunt Chiliastæ, qvi Iudaizantes & de rebus divinis carnaliter sentientes, carnaliter qvoqve hunc locum interpretati sunt, & dixerunt: ubi à condito mundo completa fuerint sex annorum millia, perdendum esse Antichristum cum omnibus ejus copiis, hoc est, impiis, & his qvi sibi adversus Christum obsecuti fuerint. Deinde toto septimo millenario Christus, dicunt ipsi, cum electis suis regnaturus est in hac terra, in omni tranqvillitate, & sine ulla prorsus afflictione, ligato interim Satana in abyssum, ne pacem illam turbare possit. Completis verò hujus tranqvillitatis mille annis, rursus antequam veniat Christus ad judicium, Satan solvendus est, & concitaturus Gog & Magog adversus pios, donec per adventum Christi militia Satanæ cohibeatur, claudaturqve Satan in abyssum in perpetuū. Sed hæc doctrina, qvia multas habet absurditates, omnibus Christianis fugienda est. Ita Alfonsus d.l. Hinc itaqve patet, qvòd expositio hactenus allata & propugnata

gnata nihil sit aliud qvàm sententia Chiliastarum interpolata, sen errot nouorum Chiliastarum. *Resp.* 1. In illa sententia probandum est id, qvod habet fundamẽtum in Scriptura; uti sunt tria ista: qvôd Antichristus ante initium 1000. annorum sit perdendus; quòd ecclesia per 1000. istos annos sit libera futura à persecutione; deniqve qvòd post mille illos anos sit inceturum bellum Gogicum. 2. In eadem sententia improbamus, qvòd carnalem securitatem inducit: qvod nullos planè impios reliqvos futuros dicit per 1000. annos, qvod statuit Christum visibiliter in his terris regnaturum; deniqve qvod apocalypticum istum millenarium præcise conjungit cum sexto millenario mundi, qvi ex traditione domus Eliæ est desumtus. 3. Non statim damnandus est Turcismi aut Judaismi, qvi cum Turca aut Judæo aliqvid asserit. v. g. Deum esse unum. Ita etiam non statim Chiliasta est, qvi defendit, qvod Chiliastæ rectè

ex

ex Scripturis asserverunt, Id enim non docuerunt, qva Chiliastæ.

Vigesima objectio: Regnum, qvod *Apocal.* 20 *v.* 4. tribuitur martyribus, est in eo positum, qvòd ipsorum animæ in cœlis regnant cum Christo. Nimirum etsi sancti martyres & cõfessores, qvi vitam vel fortunas sub tyrannis & Antichristo, Christi causa profuderunt, judicati à mundo fuerint miseri perditiqve: secus tamen pronuntiat Spiritus Dei, qvòd cum Christo beati in cœlis vivant & regnent. *Resp.* 1. Resurrectio tribuitur animabus martyrum per synecdochen: qvia animæ illæ resurrecturæ sunt, qvatenus iterum unientur suo qvæqve corpori. Etenim corpora exanima resurrectura non sunt, sed suæ qvodqve animæ rursus unitum. Et animabus illis opponuntur reliqvi mortui: de qvibus dicitur, qvòd sint revicturi post expletos mille illos annos. Ergo cùm de animabus martyrũ dicitur, q̃ sint victuræ, id intelligẽdum est de ipsarum in corpori-

bus

bus resumtis resurrectione. 2. Hoc cõmune est martyribus cum reliquis electis, quòd ipsorum animæ cum Christo in cœlis regnant. At hoc loco tribuitur martyribus aliqva prærogativa: quæ in eo versatur, quòd subinitium 1000. annorum resurgẽt, ut cum Christo regnent. 3. Dicitur hoc regnũ speciale duraturum per mille annos. Quod utiqve de vita æterna nõ potest accipi. Nam mille anni Satanæ ligati, & regni sanctorum cum Christo, sunt iidem: ut supra evicimus.

Vigesima prima objectio: Bellum Gogicum, qvod Satan post mille fatales annos solutus, per Gog & Magog id est, per Antichristum Orientalem Turcam, adversus castra sanctorum & civitatem dilectam, sive ecclesiam Christianam, qvingentis ampliùs annis, magno successu in hunc usq; diem gerit, originem traxit ex bello sacro à Gregorio VII. Pontifice Romano per cruce signatos primùm concitato: cujus quidem finis non erit ante judi-

judicium extremum, qvo etiam beſtia cũ pſeudopropheta in ſtagnum ignis tandem abiicietur: cataſtrophe verò ſeu exitus erit hoſtibus luctuoſus, qvia ignis devorabit eos. *Reſp.* Gloſſa hæc manus refutari poteſt ex iis, qvæ in analyſi hujus capitis, & ſupra ad object. 9. dicta ſunt Summa hæc eſt. Beſtia cum pſeudopropheta conjicitur in ſtagnum ignis ante mille illos annos: & iis expletis incipit bellum Gogicũ. Confer *Apoc.* 19 *v.* 20. cum *cap.* 20. *v.* 7. Deinde Gog & Magog non ſignificat Turcam: ſed hoc loqvendi genere figurantur omnes generis hoſtes, eccleſiam infeſtantes, ut ſupra planum fecimus.

Vigeſima tertia objectio: Singulis viſionibus, prima excepta, deſcriptio extremi judicii, prioribus qvidem obſcuriùs, poſterioribus verò clariùs ſubjicitur in Apocalypſi; qvia omnes viſiones in fine ſeculi terminantur, ut pii qvidem diem illum vindicationis ſuæ læſi expectent, illuſoribus verò

exci-

excutiatur securitas. Itaque nihili est, qvod dicitur *Apoc.* 19. *v. ult.* describi peculiarem cladem Antichristi, qvæ non sit futura in ultimo judicio, sed antegressura sit 1000. istos annos. *Resp.* 1. Negatur antecedens: Nam visioni secundæ, qvæ finitur *cap.* 6. subjicitur descriptio non ultimi judicii, sed particularis alicujus judicii circa illud tempus exercendi, quod figurat ultimum judicium. 2. Textus *Apoc.* 19. *v. ult.* manifestè arguit, visionem illam non terminari ultimo judicio. 3. Si maximè singulis visionibus, excepta prima, subjiceretur descriptio ultimi judicii, hoc fieret per hiatum sermonis, adeoque propter πάθος: ac proinde nihil officeret nostræ sententiæ.

Vigesima qvarta objectio: Caput 20. Apocalypseos continet visionem, quę præcedentium omnium est summa, & totius vaticinii toties jam repetiti succincta iteratio: quæ in tres partes divisa est. *In prima* est beatus ecclesiæ status ad tempus, bene longum, post primum

primum Christi adventum: qvod in primo sigillo proponitur. *In secunda* proponuntur ærumnæ & miseriæ, quibus ecclesia postea conflictabitur: de qvibus in tertio & qvarto sigillo, & in tertia, qvarta, qvinta, sextaqve tuba. *In tertia* proponitur lætifica illius sospitatio cum adversariorum exitio & universi consummatione; ut supra in sexto sigillo, & septima tuba, & septima phiala. Præcipuè autem visione exhibetur dœmonis ipsius supplicium: cùm in prioribus ministrorum duntaxat ejus & satellitum ruina fuerit exposita. Hinc itaqve percipitur, toto cœlo errare, qvi ex hoc capite extruunt nescio qvam ecclesiæ felicitatem in his terris adhuc futuram per mille annos. *Resp.* Tota illa œconomia, seu dispositio, Apocalypseos, & nominatim capitis 20. qvæ hic proponitur, est absurda: & Apocalypsin planè obscurat. Vide qvæ supra hinc inde differuimus: nominatim sect. 1. de connexione hujus capitis 20. cum

reliqvo

reliqvo Apocalypseos systemate. Teneatur breviter hæc Maxima: Divina Apocalypsis inde ab excessu Johannis usqve ad finem seculi distinctè figurat statum ecclesiæ, ipsiusqve secula per sigilla, tubas, phialas, & seqventes visiones, ita ut hæc omnia pulcherrimo ordine sibi invicem succedant, non autem unum idemqve per varias visiones repræsentetur. Neqve enim hoc convenit augusto modo docendi, qvem Spiritus sanctus observat in una eademqve prophetia: ut nempe proponat tot visiones de una eademqve re.

Vigesima qvinta objectio: Nusqvam in Scripturis fit mentio mille illorum annorum, nisi unico hoc in loco. Itaqve verisimile est mille annos significare magnum tempus: ut ita numerus certus pro incerto sit positus. *Resp.* 1. Nulla est conseqventia: Hoc est ἅπαξ λεγόμενον in Scripturis. E. literaliter non debet accipi. Nam etiam LXX. septimanæ Danielis sunt ἅπαξ λεγόμενον:

μῆνον: & tamen literaliter exponitur iſte numerus LXX. ita ut habeatur pro certo, finito, & determinato. 2. Phraſis iſta, τὰ χίλια ἔτη, aliqvoties repetitur hoc loco. Quæ repetitio non ſine cauſa eſt facta. 3. Ex multis Scripturæ teſtimoniis paulo antè propoſitis & expoſitis, & variis argumentis, prima claſſe recitatis, & cum dictis illis Scripturæ collatis, liqvido liqvet, felicem ſtatum per mille iſtos annos hoc capite deſcribi.

Vigeſima ſexta objectio: Millenarius eſt numerus perfectionis. E. mille anni hoc loco notant plenitudinem, non verò literaliter ſunt accipiendi. *Reſp.* 1. Eſt argumentum à particulari: Mille interdum notant perfectionem. E. & hoc loco. 2. Qvòd hoc loco litera ſit retinenda, jam ad nauſeam eſt probatum.

Vigeſima ſeptima objectio: Huic ſententiæ de futura eccleſiæ felicitate per mille annos in his terris adverſatur diſtributio eccleſiæ in militan-

tem & triumphantem: ubi per militantem ecclesiam intelligitur ea pars ecclesiæ, qvæ in hac vita subjecta est cruci atqve persecutioni, per triumphantem verò ecclesia tota, qvatenus post hanc vitam in cœlo regnabit cum Christo. *Resp.* 1. Ecclesiæ militia non est restringenda ad persecutionem cui nunc subjecta est: sed extendenda ad luctam illam spiritualem, quam, dum hic vivit, experitur à desideriis carnalibus. Etsi ergo ecclesia per mille istos annos non militabit sub vexillo crucis: tamen spiritus necesse habebit luctari & militare adversus carnem. 2. Triumphus ecclesiæ est partialis, vel totalis: particularis, vel universalis: inchoatus, vel consummatus. Sæpenumero enim fit, ut in hac vita triũphemus de carne, mundo, & diabolo. Neqve tamen ideo versamur in ecclesia triumphante: qvippe qvæ denominatur à triumpho totali, universali, & cõsummato. Ita licet ecclesia per mille annos habeat triumphum aliqvem in

his

his terris: tamen ille non erit ſincerus & perpetuus, ac proinde longo intervallo eſt inferior illo triumpho, à qvo eccleſia in futura vita denominatur triumphans.

Vigeſima octava objectio: Patroni hujus ſententiæ Judaizant. E. ſunt reprehendendi. *Reſp.* Ergo & ſcriptura Judaizat. Vide paulo ante loca ex S. literis allata. Deinde nos vulgò admodum humiliter ſentimus de converſione Judæorum: qvia ineptiis ſcholaſticis nimium ſumus addicti, nihil morati myſteria, qvę in Scripturis proponuntur.

Vigeſima nona objectio: Eccleſia qvandiu eſt in his terris, ſub cruce eſt. Nulla igitur ſperanda eſt ipſius felicitas: qvæ duratura ſit per mille annos. *Reſp.* Antecedens eſt axioma vulgatum: ſed non probatum, neqve etiam probandum: ut patet ex iis, quæ hinc inde attulimus in hac diſſertatione.

Trigeſima objectio: Mille iſti anni incipiunt anno 1517. Tum enim cœpit

revelari Antichristus. Tum qvoqve suscitati fuerunt duo testes. Ab eo deniq; tempore lux Evangelii longè lateq; fuit propagata, & Satanas magis ac magis est vinctus. *Resp.* Præludium confunditur cum actu principali: ut patebit, si historia illius temporis componatur cum *Apo.* 20. & nostra expositione.

Trigesima prima objectio: Communis est theologorum sententia, judicium ultimum esse præ foribus. Deinde noxia est illa sententia de 1000. annis: qvia populum reddit securum. *Resp.* 1. Non omnium theologorum hæc est sententia. 2. Erronea est ista hypothesis. Itaque usurpandum fuerit illud: μὴ δουλεύειν ὑποθέσει. 3. Nullus Scripturæ locus docet, ultimum judicium esse præ foribus. Imò contrarium docent aliqvot Scripturæ loca; Pertinet huc qvod *Cotterius* ait super *Apoc.* 20. *Annis* 1517. (nempe Christi) *adde annos* 1000. *conficies* 2517. *quo demum tempore Satanas Gentes in abominandas hæreses*

reſes denuo rapiet. Neqve verò eſt, qvòd hæc ſtomachum movere cuiqvam debeant, qvaſi ultimum diem nimio promoverimus. Qværo enim ex qvo Scripturæ loco expiſcati ſimus, diem illum ante alterum vel tertium ſeculum finitum adfore. Certè id perſvaſimus nobis qvia voluimus. At enim credam ego Apocalypſi, cùm vel maximè non ſemel diem ultimum in mille annos ſuſtineat. Capite 16. phialas habes: qvarum prima epocham anni 1517. poſt ſe relinqvit. Phialæ verò aliqvot ſecula ſibi poſcunt, nec pauciora quàm decem. In his Cotterii verbis vehemẽter probo, qvòd minuit vulgatam iſtam opinionem, de fine ſeculi, in propinqvo eſſe. Quæ autem ibi dicuntur de epocha millenarii noſtri, & phialarum, ex ſuperioribus refelli poſſunt. 4. Malum eſt docendi, exhortandi, & dehortandi genus, qvod ruinoſo, vel potius falſo nititur fundamento: ut eſt illud, qvod à die judicii ultimi ducitur, qvaſi jam jam ſit præ foribus. Neqve verò Apoſtoli unqvam ſic argumentati leguntur.

Trigesima secunda objectio: Sententia ista de mille annis, prout hic exponitur, nos manu ducit ad diem ultimi judicii: cùm Christus affirmet *Marc.* 13. de die illa & hora neminem scire, neqve ipsos angelos, imò nec ipsum Filium, sed solum Patrem. Et *Actor.* 1. Christus ait ad Apostolos, *Non est vestrũ scire tempora, vel tempestates, quas Pater posuit in propria sua potestate. Resp.* 1. Nemo homo potest definire diem ultimi judicii. Etsi enim ex collatione Danielis & Apocalypseos constet, diem ultimũ ante annum Christi 2694. non venturum: tamen nulla ope aut ratione investigari potest, qvo anno post illam periodum sit venturus. 2. Quod Deus sibi soli reservavit, id non possumus, nec debemus investigare aut definire. At periodum istam annorum 2694. expressit in verbo suo.

Trigesima tertia objectio: Absurdum est, martyres resurrecturos ad hanc vitam animalem. Hæc siqvidem erit permutatio ignobilis, de qva dici solet χρύ-

σεα

σταχαλκείων. Animæ ſiqvidem martyrum jam regnant in cœlis, & ipſorum corpora in terris reqvieſcunt à ſuis laboribus. Si verò reſurgant ad hanc vitam animalem, experientur viciſſitudinem temporis, puta diei & noctis, æſtatis & hyemis; & ſubjiciẽtur neceſſitati edẽdi, bibẽdi &c. *Reſp.* 1. Lazarus, & ſancti illi, qvi reſurrexerunt tempore paſſionis Chriſti, ex vita æterna reducti fuerunt veluti poſtliminio in hanc vitam animalem: neqve tamẽ hinc aliqvid deceſſit eorum felicitati. 2. Status martyrum in hac vita conſiſtet in regno beato: cui nihil incommodabunt ea, qvæ ſunt commemorata: qvomodo videmus Adamo in ſtatu integritatis hæc talia nihil obfuiſſe, qvo minus ſolidam poſſederit beatitatem.

Trigeſima qvarta objectio: Chriſtus in fine ſeculi exuret Zizania. Semper itaqve in eccleſia militante bonis permiſti erunt mali. Id verò negatur de felici ſtatu eccleſiæ per mille annos. *Reſpon.*

Imò verò non negatur. Neqve enim toto illo tempore ita erunt beati homines, qvi vivent, ut sint vel ipsi ἀναμάρτητοι, vel à peccatoribus separati. Non ita. Discrimen magnũ erit inter felicitatem mille istorum annorum, & felicitatem vitæ æternæ. Itaqve homines pii (exceptis martyribus) toto isto mille annorum spatio & peccato, & morti erunt obnoxii: & habebunt sibi admistos impios. Qvorum nihil erit in vita æterna.

Trigesima qvinta objectio: Ecclesia satis jam est reformata. Non igitur expectanda est alia reformatio. Probo antecedens, qvia doctrina de fundamento salutis ita proponitur, ut clarius non possit. *Resp.* Magna, qvæ à nobis futura prædicatur, reformatio, concernet tum doctrinam, tum vitã. Ad doctrinam qvod attinet, fundamentũ ipsius manebit. Sed infinitis illis contentionibus, qvibus distrahitur corpus Christi, finis impõetur. Deinde multa Scripturæ loca, qvæ doctissimis qvibusq; facel-

faceſſunt negocium, melius intelligétur. De vita non eſt qvod dicam. Res enim ipſa loqvitur, nos nihil ferè theologiæ habere in vita noſtra: qvales qvales, qvanti qvanti etiam ſimus. Peropus itaqve eſt reformatione.

Trigeſima ſexta objectio: Vetus eſt diſtinctio, qvòd regnum Dei ſit potentiæ, gratiæ, & gloriæ. At hæc diſtinctio tollitur per millenarium iſtum toties decantatum: qvia neqve ad gratiæ, neqve ad gloriæ regnum poteſt referri. *Reſp.* Pertinet ad regnum gratiæ: utpote qvod ſuis continetur gradibus. Neqve huic ſententiæ obſtat, quod ſupra non ſemel gloriam ſeu majeſtatem fecimus partem felicitatis illius millenariæ. Nam gloria illa eſt ſolùm inchoata, & interrumpetur per bellum Gogicum. At gloria vitæ æternæ eſt perfecta, & nunqvam interrumpenda.

V.

DOCTRINAE.

1.

Iuxta ſeriem capitum Catechiſmi.

I. *Symboli* articulus XI. & XII. de resurrectione carnis, adeoq; de ultimo judicio, & de vita æterna hic tractatur.

II. *Decalogi* præceptum primum & tertium illustratur versu 4. ubi fit mẽtio piorum confessorum, qvi non adorarunt imaginem bestiæ, &c.

III. *Orationis Dominicæ* petitio secunda & sexta possunt illustrari ex hoc capite.

2.

Iuxta seriem locorum communium.

Tractatur in hoc capite de providentia Dei, de angelis, de prædestinatione, de ecclesia & ejus hostibus, de martyrio, de resurrectione carnis, de ultimo judicio, de vita & morte æterna.

3.

Ex singulis versibus.

Ex versu 1.

1. DEVS erudit homines extra ordinem

dinem per visiones, adeoqve per ecstasin divinam.

2. Angeli sunt Spiritus ministratorii, qvi capessunt jussa Dei.

3. Angeli boni magna sunt præditi potentia & potestate.

Ex versu 2.

1. Angeli boni prævalent adversus malos.

2. Diabolus est potens & versutus: qvippe draco & serpens.

3. Unicum & perpetuum diaboli opus est calumniari & Deum & homines, & officere illius qvidem gloriæ, horum verò saluti.

4. Ecclesiæ in his terris militantis tempora sunt varia: videl. pressuræ & refrigerii secundum varios gradus ex dispensatione Dei.

Ex versu 3.

1. Diabolus constringitur loro providentiæ Dei.

2. Seductiones universales homi-

num authorem habent diabolum.

3. Bella cessabunt per mille annos.

4. Bellum, qvod incipiet post mille istos annos, non diu durabit.

Ex versu 4.

1. Christus est judex à Deo constitutus: cui sancti angeli adjunguntur tanqvam assessores & judices pedanei.

2. Confessores Evangelii sunt exosi coram hoc mundo.

3. Constantia reqviritur in confessione veritatis.

4. Idololatræ sunt, qvi Antichristum & ipsius doctrinam adorant.

5. Martyres regnabunt cum Christo per mille annos in ecclesia militante.

Ex versu 5.

1. Resurrectio universalis accidet in fine seculi.

2. Resurrectio prima & particularis

laris martyrum est præludium resurrectionis secundæ & universalis.

Ex versu 6.

1. Ut filii Dei habent in hac vita alii præ aliis varias prærogativas donorum, actionum, & passionum: ita etiam habebunt prærogativas beatitudinis, tum in hac vita, tum post hanc vitam.

2. Communis beatitudo piorum inter alia consistit in eo, quòd mors secunda in eos non habet potestatem.

3. Certò est statuendum, esse mortem secundam sive æternam.

4. Etsi omnes Christiani sunt reges & sacerdotes: tamen speciali modo martyres excitati sub initium mille istorum annorum erunt reges & sacerdotes in ecclesia militante.

Ex versu 7.

1. Felicitas ecclesiæ, qvæ durabit per 1000. annos, non est confundenda cum felicitate vitæ æternæ.

2. Satan nihil potest, nisi solvatur à Deo ex carcere suo.

3. DEVS solus potest Satanam coercere tanqvam in custodia aliqua.

Ex versu 8.

1. Satan ubi ubi potest, redit ad ingenium.

2. Satan delectatur effusione sangvinis hominum, inprimis piorum: & proinde amat seducere homines ad bella.

3. Quæ in V. T. dicuntur de Gog & Magog, partim literaliter, partim typicè sunt exponenda.

4. Hostes ecclesiæ sunt numero multi.

Ex versu 9.

1. Homines à diabolo seducti nihil faciunt reliqvi ad summam *vigi*lantiam in perseqvendo pios.

2. Ecclesia est urbs Dei dilecta.

3. Sanctorum officium est, nunqvam

qvam non militare in castris Christi.

4. Deus mirabilia judicia exercet adversus hostes ecclesiæ.

Ex *versu* 10.

1. Diabolus & ejus subditi conjiciuntur in infernum, & ibi cruciantur in secula.

2. Æternitas est nihil aliud, qvàm systema constans ex seculis seculorum.

3. Infernus est locus horridus.

Ex *versu* 11.

1. Magna erit majestas Christi ventura ad judicium.

2. Cœlum & terra in ultimo judicio præteribunt qvantum ad schema hujus mundi.

Ex *versu* 10. & 11.

1. Resurrectio finalis erit universalis.

2. Homines in ultimo judicio judicabuntur secundùm opera sua.

3. Conscientia hominis est instar libri.

libri, in qvo cogitata, dicta & fact. ipsius veluti consignantur.

4. Liber vitæ seu prædestinationis in extremo judicio aperietur: qvia tunc manifestum fiet; qvi fuerint electi, qvi reprobi: qvi in Christum verè crediderint, qvi hypocritice: qvi verè Deum coluerint, qvi tantùm apparenter.

5. Judicium ultimum erit universale, infallibile, & justum. *Universale.* qvia erit mortuorum & viventium, magnorum & parvorum. *Infallibile:* qvia Deus est omniscius, & ab æterno elegit suos. Omniscientia Dei significatur per libros, in qvibus opera singulorum scripta sunt. Electio verò per librum vitæ. *Iustum:* qvia Deus judicabit secundùm opera singulorum, citra prosopolepsiam.

6. Deus novit, qvo singuli homines mortui asserventur loco.

Ex versu 14. & 15.

1. Infernus est locus horroris plenus.

2. Re-

2. Reprobatio à vita æterna nihil eſt aliud qvàm non-ſcriptio in libro vitæ. Et electio ad vitam æternam eſt inſcriptio in libro vitæ.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX Prima.

PETRUS MOLINÆUS in libro Gallico qui inscribitur DU COMBAT CHRESTIEN, id est, Conflictus Christianus.

Pag. 256. Hæc persecutio est sæva tempestas, qvæ non potest semper durare. Aut illa nos tollet è mundo, aut *Deus illam nobis auferet.*

Pag. 353. Exiguum iter unicuiqve restat, qvo ad Deum sumus perventuri. Et instat tempus ubi corpus relinqvemus terræ, animas Deo, *Ecclesiæ verò pacem & benedictionem Dei. Nam etiam nostris temporibus futurum est, ut Deus glorificetur in magnis congregationibus. Etiam in illis locis, ubi sunt horrendæ ruinæ, verbum Dei resonabit, & DEus nobis dabit materiam laudum & gratiarum actionis.*

Pag. 450. Posteaqvam Deus nobis ostenderit *liberationes suas in terra*, nobis etiam ostendet divitias suas in cœlo.

AP-

APPENDIX SECUNDA.

QUia in hujus capitis tractatione mihi propoſitum fuit non ſolùm aſſerere id qvod verum eſſe conſcientia mihi teſtis eſt, ſed etiam tempori huic ſervire monſtrando conſolationem non poſtremam, neceſſe habui eam adhibere methodum, qvæ in pleniori ſacrarum literarum enarratione abſqve dubio primas tenet. Non itaqve abs re fuerit, ſi methodum iſtam hac tabellâ exprimam.



Ex his argumentum, paraphrasis, & doctrinæ pertinent ad tractationem textus sacri ecclesiasticam, analysis & qvæstiones ad scholasticam.

SOLI DEO GLORIA.